
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [3] - -

[Varia rhetorica et logica]

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [4] - -

RVDIMENTA
LOGICAE
EBRAEORVM

ex Judæorum ſcriptis eruta
exemplis copioſe illuſtrata

ad noſtram methodum qualitercunque relata
adjecta eorum decenti cenſura

a

M. Jo. Jvlio Strvvio,
Magdeb. Saxone.

IENAE,
Typis PAVLI EHRICHII. 1697.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [5] -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [6] - -

LIBERALISSIMI STIPENDII

SCHRADERIANI

DISPENSATORIBVS BENEFICENTISSIMIS

VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

MAXIME REVERENDO

CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS

DE

REPVBLICA & ECCLESIA

BRVNSVICENSI

BENE MERENTISSIMIS

PATRONIS SVIS ET FAVTORIBVS

OBSERVANTER COLENDIS.



Atronos quærere, quibus conſecrarem mei laboris primitias, non debui, dum Veſtram, MAECENATES SVSPICIENDI, inuſitatam in me benevolentiam recolo. Octavus, ſi recte memini, hic agitur annus, ex quo profectuum meorum utut exiguorum capto ſpecimine in clientum Veſtrorum numerum me aſciſcendum, ſtudiaque mea favore Veſtro & ſumtibus

annuis SCHRADERIANO teſtamento conſtitutis ſublevanda cenſuiſtis. Non debet profecto parvi a me fieri illa ſupremi Numinis benignitas, quod familiæ beneficio hoc rei familiaris levamine pro incremento ſtudiorum feliciori frui poſſim. Non debet SCHRADERIANAE liberalitatis memoriam ulla obliterare oblivio, qua tum de Muſarum cultoribus, tum de ipſis ſtudiis inſigniter mereri voluit. Non debent Veſtra, VIRI AMPLISSIMI, reticeri merita, quandoquidem in iſtis reditibus conſervandis prudentiam, augendis ſolertiam, diſpenſandis munificentiam commonſtratis Veſtram. Quæ niſi tanta eſſe fatear, ut in iis deprædicandis verba me deſtituant, in Nomina, MAECENATES, Veſtra injurius ſim. Neque tamen propterea deſpondi animum, quin in monumentum devinctæ

vinctæ ſumma fide & obſervantia mentis, tum & in qualecunque ſtudiorum documentum meorum chartaceum hoc offeram munuſculum, certa ſpe fretus fore, ut, qui olim meas eſſe aliquid putaſtis nugas, ne nunc quidem favore Veſtro prorſus indignas judicetis. Cæterum quod tardius hæc mittam, ſummopere deprecor; etenim cœptam biennio abhinc telam aliis diſtractus curis ſæpius ſeponere, reſumtam non raro retexere, atque adeo ad hunc usque diem protrahere coactus fui, ut idem accidisſe his pagellis videatur, quod Comicus de mulieribus ait: Dum moliuntur, dum comuntur, annus, imo biennium eſt. Eſtheram, Ebrææ gentis puellam, annuo ſpatio optimi generis odoribus differtam, & ad omnem cultum atq; venuſtatem fictam ſumma Rex proſequebatur gratia: Logicam

cam hanc ejusdem originis, cultus etiam diuturnioris equidem satis scio ad eam a me non perduci venustatem potuisse, ut Vestram, AMPLISSIMI PROCERES, demereri queat benevolentiam; pro singulari tamen qui Vester est, in literas affectu confido fore, ut hanc aliquo loco habere dignemini, neque inposterum me meaque studia consilio, auxilio, autoritate Vestra adjuvare, tueri, ornare detrectetis. Quod cum rependere mearum non sit virium, satis fuerit, si effusus in calidissima vota supplex factus fuero Deo Opt. Max. ut Vos largissimis donet præmiis, consilia Vestra auspicata, res florentes, valetudinem integram, fatorum necessitatem tardam esse jubeat. Dabam Jenæ mense Augusto A. O. R. M. DC. XCVII.

AMPLISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS

addictissimus & obsequentissimus

M. JO. JVLIVS STRVVIVS,
Magdeb. Saxo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [10] - -



Jova Juva!

PROOEMIUM,

quo

LOGICÆ HEBRÆORUM

existentia, origo, homonymia, scriptores recensentur, hujusq; dissertationis occasio atq; dispositio delineatur.

FIunt, non nascuntur Philosophi; non eadem ætas originem illis perfectionemque dispensat. Nascuntur, intellectu cultus experte, quem ars demum & longo tempore continuata industria nitidissimo Philosophiæ habitu induunt; aut si malumus Aristotelem audire, tabula nuda est intellectus, quæ, si ætas & optimarum artium ac scientiarum studium accesserit, venustissimas suscipit imagines.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [11] - -

gines. Ita expoliuntur homines ſapientiæ ſtudio, & vicisſim illa Divinarum humanarumque rerum ſcientia hominum labore perpolitur. Fit, non perfecta naſcitur Philoſophia, ſunt etiam ſcientiis ſuæ ætates, quibus infantia earum à juventutis flore, & hæc à decrepitæ ſenectæ langvore diſtingvitur. In natalibus autem artium pariter ac ſcientiarum inveſtigandis oppido magna deprehenditur difficultas; idemque iis contingit quod Poëtarum Regi, ut Plinius eum appellat, Homero: (a) hunc Colophonii civem eſſe dicebant ſuum; Chii ſuum vendicabant; Salaminii repetebant; Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmabant; permulti alii præterea de eo pugnabant inter ſe atque contendebant. Non aliter videtur de aliquarum artium origine certatum ſæpius fuiſſe, cujus gloriam nunc hæc, nunc iſta gens ſibi vendicare annitebatur, & ut eſt antiquiſſimorum monumentorum ingens penuria, non rarò fit, ut egregiarum ſcientiarum incunabula non ad primos autores, ſed ad eos, à quibus incrementum iſtæ acceperint, referantur. (b)

Non equidem nunc me implicabo ἀπεράντοις omnium ſcientiarum γενεαλογίαις, unam adduxiſſe ſufficiat Logicam, in qua excolenda Ariſtotelem principem extitiſſe, extra dubium mihi videtur. Si autem longius reſpiciam ſpatia præteritorum temporum, in primam Logicæ inquiſiturus puericiam, deprehendo quidem ſectam, quæ ab Euclide Megarenſi Megaricorum nuncupatur, (c) ſectam vel ipſo nomine excellens Logicæ ſtudium oſtentantem: dicebantur enim ἐριστικοὶ ſive contentioſi, ac exinde à nonnul-

(a) *Cicero orat. pro Archia num. 8.* (b) *vid. Polyd. Vergilius de Rerum invent. libr. III. integro cap. XVIII.* (c) *Voſſius de Sectis Philoſ. cap. XI. §. 2. 3. p. 64.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [12] - 4

nullis διαλεκτικοῖς. His tamen alii adhuc antiquiorem offerunt Zenonem Eleatem; (*d*) alii ipsum Pythagoram; (*e*) ultra quem in Philosophia Græcanica non fabulosa (ita enim loqvuntur Historiæ Philosophicæ cultores) Logicæ antiquitatem non proferri memini.

Ecce autem nunc gens Judæa sese proripit, quasi indignabunda, in recensenda Logicæ origine sua adeousque taceri merita, nec tam in societatem gloriæ hujus se offert, quam sibi totam arrogare præsumit, dum satis arroganter sedes scientiarum ita distribuit (*f*) עשרה קבין חכמה ירדו לעולם תשעה נטלה ארץ ישראל ואחד כל העולם כולו: *decem cabi sapientiæ descenderunt in mundum, novem abstulit terra Israëlis, unum reliqvus mundus.* Quinimo doctrinam Aristotelis omnem audacter à Salomone deducunt (*g*) libr. יוחסין p. 157. col. 2. בר עיקר חכמת אריסטוטלוס גנובה מחכמת שלמה ע"ה· כי כאשר ככש אלכסנדרוס מוקדון ירושלים השליט לאריסטוטלוס רבו על אוצר ספרי שלמה· וכל דבר טוב שמצא בהן כתב בשמו ועירב בהן מקצת דעות רעות כמו קרמית העולם: i. e. *Quicquid solidum est in doctrina Aristotelis, furtim ablatum est à sapientia Salomonis, super quem pax sit. Posteaquam enim Alexander Macedo rerum potitus est Hierosolymis, præfecit Aristotelem magistrum suum thesauro librorum Salomonis.*

(d) *Vossius l. c. Polyd. Vergilius l. c. libr. I. cap. XVI. p. 60. Villemandus parallelismo Logicæ Vet. & Novæ. proœm. p. 23. sq.* (e) *Villemandus l. c. allegat Apulejum libr. de Philos. Platon.* (f) *Kidduschin fol. XLIX. 2. edit. Venet.* (g) *cit. Hackspan in Tractatu de usu Scriptorum Judaicorum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [13] - 5

Ille vero, quicquid boni ibi invenit, ſuo ipſius nomine poſtmodum edidit, admiſtis tamen quibusdam concluſionibus peſſimis, qualis eſt illa de æternitate mundi. Vellem tamen, hujus plagii Ariſtotelici dignius exſtaret teſtimonium, quam hoc domeſticum unius ex more gentis ſuæ ad arrogantiam & figmenta proni Rabbini; quod ipſum quoque eruditiſsimus Thomaſius deſiderat, judicans relationem hanc manifeſtam ſapere fabulam. (*b*)

Interim nihil detractum volo Salomonis ſapientiæ, quam ipſe ſacer Codex ut incomparabilem celebrat; nec dubium cenſeo inſignem eum fuiſſe Logicum, comprobantibus id acutiſsimis ejus diſputationibus, (*i*) partim cum Rege Tyrio, partim cum Regina Arabiæ habitis. Totus etiam aſſentior Euſebio, qui Græcorum Philoſophos à Judæis Philoſophiam accepiſſe, integris aliquot libris Præparationis ſuæ Evangelicæ pleniſsime oſtendit. Eſt inter alia apud eundem Euſebium (*k*) elegans locus, ex libro III. Clearchi de ſomno, quo Ariſtoteles introducitur loquens de homine quopiam Judæo, à quo ipſe nonnihil doctrinæ hauſerit, his verbis: καὶ τότε διαλεγόντων ἡμῶν περὶ τὴν Ἀσίαν, παραβαλὼν εἰς τοὺς αὐτοὺς τόπους ἄνθρωπος (τὸ γένος Ἰουδαῖος) συγχαίρει ἡμῖν τε καί τισιν ἑτέροις τῶν Σχολαστικῶν, πειρώμενος αὐτῶν τῆς σοφίας. ὡς δὲ πολλοῖς τῶν ἐν παιδείᾳ συνωκειώτο, παραδόξόν τι μᾶλλον ὧν εἶχε. *Nobis tum in Aſia forte degentibus, eadem appulſus ad loca* (loquitur de homine Judæo) *nobiscum pariter ac cum aliis*

(h) *de Plagio literario §. 365. p. 161.* (i) 1. *Reg. X, 1. ſqq. conf. diſp. de Regina Auſtri, Præſide Excellentiſſ. Dn. Schmidtio habita.* (k) *Præparat. Evang. libr. IX. cap. V. p. 410.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [14] - 6

aliis quibusdam Philosophis conversatus est, doctrinæ ipsorum capiens experimenta. Sed ut cum plurimis doctrina præstantibus familiariter vixerat, plus aliquanto nobiscum communicavit, quam acciperet.

Ne autem de spatio instituti mei curriculoque deflectam longius, Logicam ante Græcorum Philosophorum tempora in Hebræis extitisse, non uno argumento evinci posse spero. Omitto nunc illud Keckermanni, (l) à ratione Urim & Thummim deductum, quod cum à Philone per σαφήνειαν καὶ ἀλήθειαν *perspicuitatem & veritatem* explicatum fuisse observet, arbitratur, Logicam perspicuitatis & veritatis magistram exinde inferri posse. Nec urgeo alterum ejusdē Autoris (m) argumentum: Platonem scilicet in Philebo maximam laudem inventæ cœlitusque delatæ Logicæ Prometheo tribuere, de quo vix dubium sit, quin Noachus aut certe alius quispiam ex Patriachis fuerit. Ad alia potius me accingo his firmiora: Nam cum passim sacris & profanis testimoniis Patriarcharum aliorumque literarum studia comprobari ac extolli verbis videamus; cum Mosen πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων παιδευθέντα *omni sapientia Ægyptiorum accurate instructum fuisse* legamus; cum Josephi prudentiam politicam non longinqua experientia, sed accurata principiorum scientia insignem celebrari deprehendamus; cum jam tum publicis scholis editisque libris eos scientiam posteris communicasse, sint qui asseverent; profecto non video, quomodo præceptorum Logicorum notitiam, scientiæ cujusvis directricem, docentium discentiumque magistram, & librorum conscribendorum normam iis denegare

(l) *Præcogn. Logic. Tract. II. cap. II. num. 5.* (m) *l. c. num. 3.* (n) *Act. VII, 22. conf. Hotting. Smegm. Orient. p. 403.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [15] - 7

gare posſimus. Quodſi de ſcholis librisque dubium alicui videri poſſet, non deerunt de utrisque probationes: Integram Simeonis familiam juventutis docendæ ſtudio addictam fuiſſe, Raſchi (o) annotat. De Abrahamo Euſebius: (p) θαυμαθεὶς, inquit, ὑπ' αὐλῶν (Αἰγυπτίων) ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώτατος καὶ δεινὸς ἀνὴρ οὐ νοῆσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ πεῖσαι λέγων περὶ ὧν ἂν ἐπιχειρήσειε διδάσκειν, τήν τε Ἀριθμητικὴν αὐτοῖς παρείζεται, καὶ τὰ περὶ τὴν Ἀστρολογίαν παραδέδωκε. *Cum maxima admiratione eſſet apud Ægyptios in mutuis congreſſibus, tanquam ſapientiſſimus, & non modo ingenio pollens, ſed etiam vi ad perſvadendum apte dicendi, de quibuscunque docere ſuſciperet, factum eſt, ut Arithmeticam eos atque Aſtrologiam docuerit.* Vereor ne nimis longus ſim, ſi quæ de Enochi, (q) Sethi (r) & Adami (s) ſcholis paſſim diſputantur, (t) hoc loco afferre aggrederer. Pariter monumenta, quæ antiqui Hebræi nobis reliquiſſe dicuntur, ſi perſequi vellem, in molem diſputationis hæc ſola materia (u) excreſceret, quorum proinde brevem ſolummodo catalogum pertexuiſſe ſufficiat: Adamo (x) 21. libros aſſignat Keſſæus de Vitis Patrum: Setho non modo columnas duas, quibus diſciplinæ inſcriptæ fuerint; ſed inſuper ſeptem libros vindicat

(o) *commentar. in Geneſ. XLIX, 7. conf. Fagium ad h. l.* (p) *l. c. libr. IX. cap. XVIII. p. 418.* (q) *Hotting. Smegm. Orient. p. 239. id. Hiſt. Orient. p. 22.* (r) *Smegm. p. 228.* (s) *ibid. p. 211.* (t) *curſim de omnibus Hotting. Theolog. Judaic. p. 285.* (u) *peculiari diſputatione ex profeſſo hanc, pertractavit Hotting. Ennead. diſp. 1. Gvilielmus Saldenus in Otiis Theologicis diſp. 1. quâ totâ agit de Primo Scriptore.* (x) *Hotting. Hiſtor. Orient. p. 15.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [16] - 8

dicat antiquitas: Enocho (y) aliquàm multa tribuunt ſcripta tam ſacra quam profana, & illorum quidem alia didaſcalica, alia prophetica, quorum poſtremorum fidem faciunt ex Epiſt. Jud. v. 14. Abrahamo magni nominis Scriptores Hebræi librum יצירה *Creationis* adſcribunt, qui nunc proſtat verſione & elegantibus notis illuſtratus à Rittangelio. Tandem ſub nomine duodecim Filiorum Jacobi venditatur Teſtamentum Patriarcharum. Ad ea, quæ ex Divina inſpiratione ſcripta ſunt, nunc non tranſeo. Hos autem quos commemoravi libros, quanquam magnis multorum conatibus ſtabiliantur, tantum tamen abeſt, ut pro genuinis habeam, ut potius ipſe ex citatis eruditiſſimis Hottingeri, Saldeni & Wagenſeilii diſſertationibus didiciſſe me exiſtimem, eos tales eſſe, quorum vel non poſſit probari genuina origo, vel quorum ψευδεπιγραφία ſatis luculenter monſtrari queat. Nec adeo refragabor Voſſio, (z) contendente: *vergentibus ſub finem Danielis hebdomadibus, à Judæis toto orbe diſperſis fuiſſe compoſita multa volumina, partim ſub Patriarcharum & Prophetarum ſuorum nominibus, quales hi citati forſitan quoque fuerint.* Veruntamen utut iſta ſcripta forſan omnia fuerint ſpuria, *haudquaquam tamen verоſimile eſt*, ut optime conjectatur Saldenus, (a) *univerſo illo tempore, quod Moſis antecesſit ætatem, id eſt, ab origine mundi totis 2300, vel ut alii volunt, 2400 præter propter annis, nullos plane libros, librorumque Scriptores extitiſſe.*

Quid tandem dicam de neceſſitate Logices in mutuis congreſſibus? Solem è mundo tollere videntur, qui

(y) *conf. Wagenſeil. diſp. de Lingva authentica N. T. p. 32. ſqq.* (z) *cit. Wagenſeil. l. c. p. 33.* (a) *l. c. p. 7.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [17] - 9

Dialecticam ex converſationibus hominum tollunt. Unde enim habes, quod accommodate interroges, clare reſpondeas, utrinque apte dicatis, niſi Dialectica lumen ſermonibus veſtris fœneret. Cum autem ita nos eſſe natos perſpiciam, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam, atque eo fine ipſe ſummus rerum opifex primo Parenti mature de vitæ conſortio proſpexerit; quis non mihi largietur, omni ætate, qua homines terra aluit, Logicæ præcepta viguiſſe, & gentem, quæ ſui originem antiquiſſimam probatam dare poteſt, merito de poſſeſſa primitus Logica gloriari.

Nemo autem à me expectabit, ut nunc Logicam Protoplaſtorum tradere ſuſtineam: nam quanquam eam in ſtatu integritatis perfectiſſimam fuiſſe, tutò aſſeverare poſſimus; nihil tamen de ea memoriæ proditum ſupereſt, niſi forte accuratiſſimam nominum impoſitionem, quam Plato in Cratylo Dialectico propriam eſſe dicit, cum Euſebio (*b*) huc referre velis.

Neque etiam adeo adhærebo propinquioribus, ut eas, quæ ſuperiori demum aut etiam hoc ipſo ſeculo enatæ, noſtrisque tantum non exacte conformes ſunt, Hebræorum Logicas examinandas ſumam, quales ipſi à rad: הגה *meditari* communiter הגיון vocant, quia circa meditationem & uſum rationis verſentur. Collegit talismodi Logicas Hottingerus, (*c*) primoque recenſet: הגיון R. Simeonis, quam Latine verſam & punctis vocalibus à Münſtero illuſtratam, & Baſileæ excuſam per Frobenium, anno 1527.

Bux-

(b) *Præp. Evang. libr. XI. cap. V. ſq. p. 514. ſqq. conf. Kircheri Oedip. Tom. II. P. I. Claſſ. 2. quæ Grammatica vocatur. p. 44. ſqq* (c) *in Bibliotheca Orientali Claſſ. XI. lit. C. p. 47.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [18] - 10

Buxtorfius (*d*) annotat. Deinde aliam R. Levi ben Gerſon, quam Venetiis excuſam eſſe, idem Cl. Buxtorfius indicat. Tertio, כח הגיון לארסטוטלוס מקצורי אבן-רשד ſive: *Compendium Logicæ aut Organi Ariſtotelici Aben Raſched i.e. Averrois*, quod Rivæ de Triento apud Chriſtoph. Madrutium anno 320. i. e. 1560. in 8vo impreſſum eſſe, iterum Buxtorfius docet. Quarto, מלות הגיון *explicationem vocum ſive terminorum Logicorum:* quinto aliquam, quæ titulum צרור הכסף *faſciculi argenti* gerat: ſexto R. Joſephi Caſpi Logicam adhuc Mss: ſeptimo Menaſſe ben Israël Logicam. His addo ספר הנושאות *Librum Topicorum* R. Levi, à Buxtorfio (*e*) citatum.

His partibus ego incedam medius, delineaturus *Logicam Hebræorum* eam, quam aliqui Talmudicam vocare amant, eo quod contineat præcepta, hinc inde per Talmud diſperſa, quibus S. Scripturæ ſenſus recte inveſtigari, indeque legitimæ (ex mente Rabbinorum) conſequentiæ, quibus Talmud eorum nititur, deduci poſſint. Non dubito, quin hanc Logicam indigitaverit Euſebius, ubi περὶ παρ' Ἑβραίοις λογικῆς πραγματείας *de Hebræorum Philoſophia in diſſerendo poſita* agit, ita enim eam deſcribit: οἱ θεόσοφοι ἐπ' ἀληθειαν ἀκονοῦντες τὰς τὰ οἰκεῖα μαθήματα παιδευομένους, λόγων τε αὐλοῖς ἱερῶν ἀπαγγελίας, ἱστοριῶν τε σεμνῶν διηγήματα, ᾠδῶν τε καὶ ἐπῳδῶν ἐμμέτρους συνθέσεις, καὶ ἔτι προβλήματα καὶ αἰνίγμα-

(d) *in Bibliotheca Rabbinica ſub titulo* הגיון (e) *in Lexico Rabbin. ſub nomine* בצח *p.* 927. (f) *Præp. Evang. lib. XI. cap. V. pag.* 513.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [19] - 11

τα, καὶ τινὰς σοφὰς καὶ ἀλληγορικὰς θεωρίας μεθ' ἁλλυς εὐεπείας, καὶ τῆς καλῆς τὴν οἰκείαν γλῶτταν ὑφηδυς ἐπαγγελίας, ἐξ ἔτι νηπίας αὐτοῖς παρεδίδοσαν ἡλικίας. i. e. *Hi qui Divinam ſapientiam profitebantur, ut eorum etiam animos, quos diſciplinis ſuis imbuendos ſuſcipiebant, ad illam capeſſendam acuerent, ſacras iis ſententias, plenasque gravitatis & honeſtatis hiſtorias, cum modulatis alternisque carminibus, certa numerorum lege comprehenſis, problemata inſuper atque anigmata, eruditas & allegoriis involutas quaſtiones, cum verborum elegantia, & ſuavi pro linguæ ratione dictionis lepore conjunctas, à teneris unguiculis ingerebant.*

Scripta, quæ huc apprime faciunt, iterum exhibet Hottingerus, (g) inque primis commendat, חליכות עולם qui liber eum verſione Conſtant. l'Empereur proſtat: deinde ejusdem argumenti eſſe memorat שארית יוסף *Reliquias Joſephi*: tum R. Joſephi ben Virga לחם רב *Panem multum*, qui contineat ענייגות התלמוד וסוגיות *res & modos loquendi Talmudicos*: מחררי נמרים *de montibus leopardorum*. Porro expoſitionem מהתלמוד על איזה סוגיות *quarumcunque proprietatum loquendi & diſputandi in Talmud*: Adhuc addit à Menaſſe ben Israël כללי התלמוד *Summam Talmudis*, item דרכי התלמוד *vias Talmudis*, item ספר הכריתות *librum exciſionis* adduci, nec male ab ipſo vocari Logicas Talmudicas.

Malo autem ſtatim in limine curtam meam ſupellectilem profiteri, quàm Lectori Benevolo ſpem facere, omnes

(g) *Biblioth. Orient, Claſſ. II. lit. B. p. 13.*

omnes istos libros à me evolutos hic proponi. Non enim licuit mihi esse tam felici, ut aliquem eorum conspexerim, praeter eum quē primo loco citavi, עול מלכות inscriptum: hunc ex benevola communicatione *Dn. JO. ANDR. DANZII, Lingg. Orient. in hac Salana Professoris, Praeceptoris mei aeternum Devenerandi*, usurpare contigit. Puto autem me ex Hottingero colligere, eum in hâc parte cæteris præstare omnibus, unde hujus solius ductum in recensendis Judaicis interpretandi regulis sequendi veniam deprecor, donec, si progressu temporis cæterorum unus atque alter mihi obtigerit, olim Deo annuente, Teque B. L. exiguam meam opellam approbante, auctiorem & pleniorem in lucem producere queam. His interim mecum fruere primis quasi lineis, certarum classium loco, quo postmodum sive regulæ sive exempla plura commode colligi possint.

Quas ego eò libentius consignavi, quod ad hoc institutum autor mihi exstitit *Vir Maxime Reverendus atq; Excellentissimus Dn. JO. ANDR. Schmidt. S. Theol. Licentiatus, ejusque Prof. Publ. in Academia Julia designatus longe meritissimus: in nostra Salana Log. & Philos. prim. Prof. Publ. celeberrimus, & h. t. suæ Facultatis Decanus spectabilis, Patronus, Praceptor ac Hospes meus ad cineres omni observantiæ cultu prosequendus.* Hic cum olim, argumenti dignitate & jucunditate allectus, ipse Logicam

Hebræorum conſcribere ſibi propoſuiſſet, nunc autem ſacratioribus abſtrahatur curis, meis (vereor ne oneri imparibus) id impoſuit viribus, librisque non paucis conſilium adjuvit. Ego tamen doleo, non illius elaborari ingenio, perfici induſtria hanc operam debuiſſe, cum à me tantum quæ in promtu fuerunt, dicta ſint, ab ipſo reconditiora eruditus orbis accepiſſet.

Qualiacunque tandem hæc mea ſint, ut quo ordine à me proponantur, uno quaſi obtutu conſpici poſſit, ſcias, in tria capita totum me diſtinxiſſe laborem: Quorum Primum ipſas interpretandi & argumentandi regulas recenſebit, ſimulque de autoribus ipſarum, & autoritate, nec non commentatoribus diſpiciet: Alterum ad methodum eas revocabit, ubi aſſumtis aliis Locis Talmudicis iterum tres ſectiones conſtituam: quarum primâ de Fine tàm cujus, ſc. veritate; quam cui, ſc. Diſcipulo genuino: alterâ de objecto, Problematibus nimirum, & his cognatis propoſitionibus: Tertiâ de *Mediis*, *ipſis* ſcilicet Locis Topicis pertractabo: inque *poſtrema* hâc ſectione *id agam*, ut ſingulas regulas non *modo* ad certos Locos redigam; ſed exemplis illuſtrem, & quantum cum noſtris Locis Topicis conveniant, oſtendam. Ultimum denique caput erit fere Hermenevticum, quo monſtraturus ſum, multas Judæorum regulas à ſuis vitiis perpurgatas in noſtris quoque Hermenevticis ſcholis obtinere, aliquas autem plane rejici: atque ſic exemplorum priori ſectione allatorum vel approbationem vel cenſuram pro modulo ingenii & temporis, Deo adjuvante, expediam.

CA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [22] - 14

CAPUT PRIMUM.

Quo

Ipſæ interpretandi & argumentandi regulæ Hebræorum recenſentur, earumque autores, autoritas, & commentatores exhibentur.

PRimum locum occupent 13. regulæ R. Ismaëlis, quæ ipſorum Rabbinorum teſtimonio maximæ autoritatis habentur; ita enim lego in Halich: Olam p. 173. אלו הי"ג מדות לא נמצא אדם חולק עליהם והם רחוטות ושגורות בפי הכל: *Ab illis 13. modis non datur ullus hominum qui diſſentiat, ſuntque promti & expediti in ore omnium;* adeo ut eas ſingulari cultus opinione & ſanctitatis fiducia inter preces ſuas referant, & cum iis recitent, ut videre eſt in מחזור לכל השנה fol. 3. col. 2. fac. b. edit. Francof. Nunc igitur ipſas ex Halich: Olam (a) ordine recenſebo:

Tredecim regulæ R. Ismaël, quibus ipſe legem explicat.

הי"ג מדות דר' ישמעאל: שהתורה דורש בהם:

I. *Leve & grave (à minori ad majus.)* א' קל וחומר:

II. *comma æquale.* ב' גזרה שוה:

III. *conſtitutio principii ex unico ſcripturæ loco, & conſtitutio principii è duobus locis.* ג' בנין אב וכתוב אי בנין אב ושני כתובים:

(a) *p.* 112.

IV. Ge-

IV. *Generale & speciale.*

V. *Speciale & generale.*

VI. *Generale & speciale, iterumque generale.*

VII. *Generale egens speciali, & speciale quod eget generali.*

IIX. *Cum aliquid sub generali contentum, excipitur à generali, ad docendum aliquid* (singulare) *de isto generali.*

IX. *Cum aliquid sub generali contum excipitur, ad imponendum aliud onus, quod convenit cum ipsius ratione.*

X. *Quando* (aliquid sub generali contentum) *excipitur ad imponendum aliud onus, quod cum ipsius ratione non convenit.*

XI. Quando aliquid sub generali contentum) *excipitur ad arguendum de re plane nova.*

XII. *Res quæ discitur ex sua ipsius significatione, & res quæ discitur è fine suo.*

XIII. *Duo loca Scripturæ sibi invicem repugnantia.*

ו׳ כלל ופרט׳

ח׳ פרט וכלל׳

ו׳ כלל ופרט וכלל׳

ז׳ כלל שצריך לפרט
ופרט שצריך לכלל׳

ח׳ דבר שהיה בכלל׳
ויצא מן הכלל ללמד
על הכלל׳

ט׳ דבר שהיה בכלל׳
ויצא לטעון טען אחר
שהוא כענינו׳

י׳ יצא לטעון טען
אחר שלא כענינו׳

יא׳ יצא ללדון בדבר
החדש׳

יב׳ דבר הלמד מענינו
ודבר הלמד מסופו׳

יג׳ שני כתובים
המכחישין זה את זה׳

Hic

Hic R. Ismaël procul dubio est iste, cui R. Samuel in מבוא חגמרא *introductione ad Gemaram* (b) librum מכולתא (l' Empereur *Cornu copiæ* appellat) attribuit, eumque ad ברייתות i.e. *exoticas constitutiones* refert. ut igitur de autoritate, quam hæ regulæ obtineant, melius constet, sciendum quid sit ברייתא *exotica constitutio.* Scilicet docet R. Samuel: Gemaram continere duas partes: Mischnam & commentarium Mischnæ, & hunc quidem proprie vocari Gemaram, iterumque in duas partes distribui, quarum prima contineat constitutiones firmas & stabiles, quas ex ore ipsius Mosis didicerint; altera autem tales, quæ infringi possint: Quarum postremarum constitutionum recenset 21. species, inter quas secundo loco ברייתא numerat. Ipsæ autem ברייתות non sunt æqualis autoritatis, (c) ut docet R. Samuël his verbis: מה שלא נחלקו עליו מכל החברים האלה היא הלכה מקויימת ומה שנחלקו עליו הלך בו אחר פסק ההלכה· *de quacunque ex his omnibus* (recensitis constitutionibus exoticis) *non occurrit dissensus, ea est constitutio stabilis; sed ubicunque dissensus occurrit, in ea sequuntur decisionem constitutionis usu approbatæ.* Quod nunc Ismaëlis attinet interpretandi regulas, vidimus statim ab initio hujus capitis, neminem reperiri, qui ab ipsis dissentiat, unde concludere pronum est, eas à Judæis haberi pro הלכה מקויימת *constitutione stabili.*

Nunc autem laboro in conciliandis iis, quæ antea ex R. Samuele adduxeram: ubi in genere dicebatur,

C

(b) *Annexa ad Halich. Ol. p.* 223. (c) *Contra quam sentit Buxtorfius Lex. Talm. in voce* ברייתא *p.* 348.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [25] - 17

tur, istas esse constitutiones stabiles & firmas, quas ipsi ex ore Mosis acceperint; ברייתות verò sive *constitutiones exoticas* idem autor in universum ad constitutiones infirmas, & quæ infringi possint, referebat. Sic igitur videtur aliqua Baraitha simul esse constitutio stabilis, quia scilicet à nemine impugnatur; & non esse constitutio stabilis, quia non ex ore Mosis tradita habetur. Sed ut dicam quod sentio, ad hoc, ut aliquid sit constitutio stabilis, requiri mihi videtur, ut vel formaliter, vel saltim materialiter ex ore Mosis posteris sit traditum. Jam licet e.g. hæ 13. Regulæ Ismaëlis non formaliter, eâdem nimirum forma, eodem ordine quo R. Ismaël eas collegit, à Mose sint traditæ, materialiter tamen ab eo derivantur: i. e. creditur Moses legem Dei Israëlitis explicans, data occasione, nunc hanc nunc istam regulam ipsis tradidisse Suppetunt enim loca, quibus Judæi asseverant, has quoque 13. Regulas Mosi in monte Sinai à Deo demandatas fuisse. ita R. Lipmann (d) scribit: נראה שהשי נתן התורה ושלש עשרה מדות לדרוש בהם התורה כל חכם וחכם לפי השגות דעתו וגי *videtur Deus, dedisse legem & tredecim regulas, ut quilibet sapiens iis legem exponeret pro captu ingenii sui.* & alio in loco: (e) לא לחנם חזה מרעה בהר סיני ארבעים יום וארבעים לילה כי אם ללמוד פירושי התורה ומצות דקדוקיהן גם דיני התורה: *Non frustra Moses Doctor noster, super quem pax sit, in monte Sinai 40. diebus & 40. noctibus perseveravit, sed ut disceret explicationes legis, & præcepta, eorumque minutias, nec non*

(d) *lib.* נצחון *num.* 321. *p.* 177. (e) *l.c. num.* 62. *p.* 40.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [26] - 18

non argumenta legis. Huc ſpectare videntur prima verba in Maſſecheth Aboth משה קבל תורה מסיני *Moſes accepit legem ex monte Sinai:* ad quæ R. Obadias de Barthenura ita commentatur: לפיכך התחיל התנא במסכתא זו· משה קבל תורה מסיני לומר לך שהמרורים והמוסרים שבזו המסכתא לא ברו אותם חכמי המשנה מלבם· אלא אף אלו נאמרו בסיני: *eapropter incepit autor Tractatum hunc: Moſes accepit legem de monte Sinai, ut ſignificaret tibi, quod regulas iſtas & traditiones, quæ occurrunt in hoc tractatu, non effinxerint Doctores Miſchnici ex arbitrio ſuo; ſed quod hæ etiam promulgatæ ſint in monte Sinai.* Et quid clarius dici poterat iis quæ Gemara (*f*) ad Miſchn. 1. cap. XI. (*g*) Maſſech. Sanhedrin commentatur. Miſchna ita habet: אלו שאין להם חלק לעולם הבא· האומר אין תחיית המתים מן התורה· ואין תורה מן השמים· ואפיקורס: *iſti ſunt quibus non portio futura eſt in æterna vita: quisquis dicit, reſurrectionem mortuorum non probari poſſe ex Scriptura S.; & quisquis negat, legem eſſe à Deo; & quivis Epicureus.* Ubi Gemara ad verba: *quisquis negat, legem eſſe à Deo*, hanc apponit rationem ex Num. XV, 31. כי דבר ה' בזה ואת מצותו הפר הכרת תכרת הנפש החוא: *quia verbum Domini ſprevit, & mandatum ejus irritum fecit, excidendo excidetur anima hæc.* Paucisque interjectis ואפילו אמר כל

(f) *vid. Joh. Coch Sanſedrin & Maccoth p.* 388. *ſq.* (g) *in opere Miſchnico ſeparatim exſtante edit. Amſtel.: hoc caput eſt X, ſed in opere Talmudico edit. Venet eſt XI. & ſic quoq; numerat Coch l. c.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [27] - 19

כל התורה כולה מן השמים חוץ מדקדוק זה מקו"ז מ"ש זו זהותה כי דבר ה' בזה. *Etiamsi quis dicat: Tota lex est à Deo, præter hanc illamve subtilitatem, aut istam argumentationem à minori ad majus, aut illam à pari, is notatur hac sententia: quod verbum Domini sprevit.* Tanti igitur est Judæis, Divinam istarum 13. regularum autoritatem asserere, ut, qui contra statuat, excidii reus, nec beatæ vitæ consors futurus judicetur.

Sicut igitur hæ 13. regulæ cæteris sunt communiores & digniores, ita plures fuerunt, qui ipsas, quàm qui cæteras mox enumerandas recensuerunt, & notis commentariisque illustrarunt. Aliquas earum enarravit, succinctaque explicatione declaravit *BUXTORFIUS*; (*h*) Omnes recensuisse lego & in Germanicam lingvam sed perobscure transtulisse *ANTONIUM MARGARITAM*, (*i*) à Judaica religione ad Christianam fidem conversum. Sic quoque omnes enumerari saltem in libro ספרא, qui est Commentarius in Leviticum, à Cochio (*k*) didici. Eo quoque labore defunctus est *SCHERZERUS*. (*l*) Omnes etiam veruntamen breviuscule pertractavit *HOTTINGERUS*. (*m*) Aliquantum prolixius *PHILIPPUS AQVINAS*, & ipse quondam Judæus, Lutetiæ Parisiorum Lingv. Hebr. Professor in peculiari dissertatiuncula, cui Titu-

(h) *Lexic. Talmud. sub rad.* כלל *p.* 1042. *sq. it. sub rad.* בנה *in voce* בנין *explicavit unicam p.* 318. (i) *lib.* Gantzer Jüdischer Glaube. (k) *Sanhedr. & Maccoth p.* 390. (l) *Trifol. Orient. p.* 92. (m) *Thesaur. Phil. lib. II. cap. III. Sect. III. p.* 560. *sqq.*

Titulus: *Veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho Modi tredecim*, regulas has discussit, ita tamen ut ulterius eas explanare non supervacaneum futurum sit. Excusa est denuo hæc dissertatio anno superiori in *Fasciculo Quarto opusculorum, quæ ad Historiam & Philologiam Sacram spectant*, Roterodami, curante Petro vander Slaart; cujus cum hic terrarum adhuc rarior sit conspectus, è *MUSÆO MENKENIANO* à bibliopola copia mihi facta est. Fusius ipsas explanavit *SCHICKARDUS*. (n) Optime & prolixissime *Autor Halichoth Olam*. (o) Ex his omnibus, præter *ANTONII MARGARITÆ* librum à me inspectis, depromam ea, quæ maximi usus videbuntur, & quandoquidem in omnibus multum adhuc obscuritatis restat, quanta possum perspicuitate *capite sequenti* singula suis locis explanabo, nunc pergo ad recensionem cæterarum regularum.

(p) Rabbi Eliesер Filius R. Josis Galilæi inquit. 32. regulis narratio historica explicatur.

ר׳ אליעזר בר׳ יוסי הגלילי אומר בל״ב מדות ההגדה נדרשת׃

I. Ab augmento. א׳ בריבוי׃

II. à diminutione. ב׳ במיעוט׃

 III. Ab

(n) *in Bechinath Happeruschim à p.* 159. *ad p.* 169. (o) *à p.* 116. *ad p.* 172. (p) *Hal. Olam. p.* 114.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [29] - 21

ג׳ בריבוי אחר ריבוי׳

III. Ab augmento post augmentum.

ד׳ במיעוט אחר מיעוט׳

IV. à diminutione post diminutionem.

ה׳ בק״ו סתום׳

V. Argumentatione occultâ à minori ad majus.

ו׳ בקל וחומר מבורש׳

VI. Argumentatione perſpicua à minori ad majus.

ז׳ מגש״׳

VII. à commate æquali.

ח׳ מבנין אב׳

IIX. à conſtitutione principii.

ט׳ מדרך קצרה׳

IX. à via brevi ſive compendio.

י׳ מדבר שהוא שנוי׳

X. à re immutata.

יא׳ מסדור שנתלק׳

XI. ab ordine diviſo ſ. turbato.

יב׳ מדבר שהוא בא ללמד ונמצא למד׳

XII. Ab eo, quod ad docendum adducitur, cum tale ſit, ut primùm diſcatur.

יג׳ מכלל שאחריו מעשה והוא פרט של ראשון׳

XIII. à generali, cui ſuccedit factum quod eſt prioris ſpecies.

יד׳ מדבר גדול שהוא נתלה ברבר קטן׳ להשמיע לאזן כדרך שהיא שומעת׳

XIV. A magno, quod ſuſpenditur à re parva, ſignificando auri, per modum quo ipſa audit. i.e. à magno, quod primo intuitu videtur cum re parva jungi. (q)

XV. à

(q) *regula hæc nihil vult aliud, niſi quod Poëta ait: Parvis componere magna ſolebam.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [30] - 22

טו׳ משני כתובים המכחישין זה את זה׳

XV. à duobus locis Scripturæ, sibi invicem repugnantibus.

יו׳ מדבר שהוא מיוחד במקומו׳

XVI. Ex eo, quod suo loco singulare est.

יז׳ מדבר שאינו מתפרש במקומו ומתפרש במקום אחר׳

XVII. Ex eo, quod suo loco non explicatur, sed explicatur loco alio.

יח׳ מדבר שנאמר בקצת והוא נוהג בכל׳

XIIX. Ex eo, quod restricte dictum est, in omnibus autem obtinet.

יט׳ מדבר שנאמר בזה והוה בחבירו׳

XIX. Ex eo, quod de hoc singulari dictum est, sed æqualis ejus est ratio in suo compari.

כ׳ מדבר שנאמר בזה ואינו ענין לו אבל הוא ענין לחבירו׳

XX. Ex eo, quod de hoc singulari dictum est, sed sensus ejus non est pro ipso, sed pro socio ipsius.

כא׳ מדבר שחוקש לשתי מדות ואתה נותן לו הכח היפה שבשתיהן׳

XXI. Ex eo, quod assimilatur duobus modis, cui virtutem quæ in utraque præstantissima est, attribuis.

כב׳ מדבר שחבירו מוכיח עליו׳

XXII. Ex eo, de quo compar ipsius aliquid arguit.

כג׳ מדבר שהוא מוכיח על חבירו׳

XXIII. Ex eo, quod de compari suo aliquid arguit.

כד׳ מדבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על עצמו׳

XXIV. Ex eo, quod in generali contentum excipitur à generali, ut de se aliquid doceat.

XXV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [31] - 23

כה׳ מדבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על חבירו׳

XXV. Ex eo quod in generali contentum, excipitur a generali, ut de compari aliquid doceat.

כו׳ ממשל׳

XXVI. à parabola.

כז׳ ממעין׳

XXVII. Ex superiori (antecedente.)

כח׳ מכנגד׳

XXIII. Ex mutuo respectu.

כט׳ ממוקדם וממאוחר שהוא בענין׳

XXIX. Ab antecedente & consequente quod ipsi rei inest.

ל׳ ממוקדם וממאוחר שהוא בפרשה׳

XXX. Ab antecedente & consequente, quod in sectionibus Scripturæ est.

לא׳ מלשון נוטריקון׳

XXXI. Ex significato per Notaricon, i. e. talem interpretandi formulam, qua singulæ literæ integras voces denotant.

לב׳ מלשון גמטריא׳
אם לחשבון האותיות
אם לחילוף זו בזו׳

XXXII. è significato per Gematriam eruto; sive per computationem literarum, sive per transpositionem hujus cum alterâ.

De Eliezere collectore harum regularum nil adeo singulare constat, nisi quod Ismaëli, cui priores 13. regulæ ad-

adſcribebantur, coætaneus, quin eodem, quo ipſe, patre uſus fuerit. Quem enim Joſen Galilæum Elieſeris parentem regularum ipſius inſcriptio memorat, eodem Ismaëlem quoque natum fuiſſe *autor Halichoth Olam p. 20.* tradit. Joſis autem Galilæi memoria cum & inclyta geminæ ſuæ ſobolis gloria, & præclare ab ipſo dictis paſſim in Talmude citatis, ad poſteros traducta eſt, tum vel inprimis ſcholæ ſuæ felicitate, e qua prodiiſſe memoratur R. Jehudas ille, ſanctus princepsque communiter Judæorum genti dictus, qui operis Miſchnici collectione ſatis inſignem famam ſibi comparavit. Itaque genus, inſtitutio, ſeculum παραδόσεων obſervantiſſimum, commilitones, ipſum denique nomen Elieſeris egregia quæque promittunt, iſto quippe nomine multi ex Hebræorum gente inſigniter inclaruerunt. Legi merentur encomia, quibus R. Jochanan filius Zachæi par diſcipulorum ſuorum, nomine Elieſeris appellatorum, ornavit. (r) Primum quidem de R. Elieſere Hyrcani filio inquit. ר׳ אליעזר בן הורקנוס בור סוד שאינו מאבד טפה׳ *R. Elieſer filius Hyrcani eſt ciſterna calce oblita, quæ ne guttulam quidem perdit.* Deinde paucis interjectis de altero Elieſere Arachi filio loquitur: ור׳ אליעזר בן ערך מעין המתגבר׳ *Rabbi autem Elieſer filius Arachi eſt fons exuberans;* atque tum ſubnectit: אם יהיו כל חכמי ישראל בכף מאזנים ור׳ אליעזר בן הורקנוס בכף שניה מכריע את כלם׃ *ſi omnes ſapientes Israëlis eſſent in lance una, Rabbi autem Elieſer filius Hyrcani in lance altera, ille iis omnibus præponderaret.* Aba Saul vero ex ſententia ejusdem R. Jochanan ita judicat. אם יהיו כל חכמי ישראל בכף מאזנים׃ ורבי אליעזר בן הורקנוס אף עמהם׃ ורבי אליעזר בכף שניה׃

D

(r) *Pirke Aboth cap. II. §. 8.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [33] - 25

שנוים· מכריע את כלם: *Si omnes ſapientes Iſraëlis eſſent in lance una, & una etiam cum illis R. Elieſer filius Hyrcani, Elieſer autem filius Arachi in altera lance, is omnibus illis præponderaret.* Stupenda ſunt, quæ de R. Elieſere Hyrcani filio alicubi relata legi, dum eum arbores e loco in locum tranſtuliſſe, flumina ſtitiſſe, Javanenſis ſcholæ parietes inclinaſſe Judæi comminiſcuntur, voceque cœlitus delapſa omnes juſſos eſſe, ut R. Elieſeri parerent. Mitto nunc elogia aliorum, qui Elieſeris nomen geſtarunt: perennat memoria *R. Elieſeris filii Jacobi*; nec minus *R. Elieſer f. Azariæ, Elieſer f. Judæ viri Bartutæ, Elieſer f. Zadoki, Elieſer f. Peratæ, R. Elieſer Chasma* aliique hujus nominis in Ebræorum ſcriptis ſuas laudes ferunt. Adeo itaque auſpicatum cum nomen Elieſeris in Hebræorum gente fuerit, ne fruſtra id gereret noſter, inprimis videtur operam dediſſe. Quamvis enim, teſte *Maimonide præfatione ad Seder Seraim*, unica tantum ſententia illius in tota Miſchna recepta ſit, quæ exſtat in *Maſſ. Sotab cap. V. §. 3.* nihil tamen inde honori ejus decedit, quin ex præſtantia ſuarum interpretandi regularum eo ampliorem laudem eſt conſecutus. Nos autem poſtremum rurſus alias interpretandi argumentandique regulas exhibebimus.

Hæ ſunt regulæ Gemariſtarum in ſuis myſticis expoſitionibus, & alluſionibus, & Scripturarum citationibus.

אלו הן מדות חכמי הגמרא במדרשותיהן ואסמכתותיהן ובמ ובמקראותיהן:

I. Principium lectioni ineſt, principium traditioni ineſt.

א׳ אם למקרא ואם למסורת:

II. E duobus Scripturæ versibus, qui unum idemque docent, nihil eruunt.

ב׳ שני כתובים הבאים כאחד אין מלמדין׃

III. Non est prius & posterius in lege.

ג׳ אין מוקדם ומאוחר בתורה׃

IV. Confusio sectionum.

ד׳ עירוב פרשיות׃

V. Auferunt & addunt, atque tum exponunt.

ה׳ גרעין ומוסיפין ודורשין׃

VI. Inverte Scripturam & deinde expone eandem.

ו׳ סדר המקרא ודרשהו׃

VII. Scriptura ex antecedentibus & consequentibus exponitur.

ז׳ מקרא נדרש לפניו ולאחריו׃

VIII. In subtili indagine principia connumerant.

ח׳ דורשין תחלות׃

IX. Auxesis auxesin non nisi ad diminuendum sequitur, diminutio diminutionem non nisi ad augendum.

ט׳ אין רבוי אחר רבוי אלא למעט׃ אין מיעוט אחר מיעוט אלא לרבות׃

X. Sectio quæ cum immutatione proponitur, mutatur propter id quod in ipsa innovatur.

י׳ פרשה שנאמרה ונשנית בשביל דבר שנתחדש בה׃

XI. Rem distinguere.

יא׳ הפסיק הענין׃

XII. Occasio in Scripturis.

יב׳ איידי במקראות׃

XIII. Ob interdictum quod in generali continetur, non vapulant.

יג׳ לאו שבכללות אין לוקין עליו׃

XIV. Interdictum quod ad præceptum transfertur.

יד׳ לאו הניתק לעשה׃

XV. Præceptum depellit interdictum.

טו׳ עשה דחי לא תעשה׃

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [35] - 27

XVI. Probibitio complectens & probibitio addens. טז׳ איסור כולל איסור מוסיף.

XVII. Loquitur Scriptura phrasibus filiorum hominum. יז׳ רברה תורה בלשון בני אדם.

Videtur non invitare duntaxat, ſed propemodum jubere hic locus, ut majore aliqua cura de tempore confectæ Gemaræ agamus, quo de antiquitate harum regularum rectius judicari queat. Itaque digrediemur nonnihil in campum illum, præſertim cum hac de re varie a viris doctiſſimis controverti videamus. Vbi ſtatim ſe nobis objicit vir eruditionis minime vulgaris, Ludovicus Capellus, is (*s*) enim in Arcano punctationis revelato incertam eſſe inquit confecti Talmudis hiſtoriam, quando, a quibus, & ubi ſit illud confectum, hæc omnia craſſis tenebris eſſe involuta. Eliam Levitam dicere, abſolutum eſſe Talmud anno mundi ſecundum Judæorum æram 3989. At R. Abrahamum in ſua Cabbala dicere, non eſſe abſolutum illud opus, niſi anno mundi 4266. ut proinde differant hi duo Judæi in temporis aſſignatione annis ferme 300. Neque minus ſerio vir πολυμαθέστατος Herm: Conringius (*t*) originem Talmudis plane dubiam facere contendit. Primum, inquit ille, tradunt ipſorummet Judæorum nonnulli quidem, Gemaræ ultimam manum impoſitam eſſe circa ſeculum ſextum: nonnulli vero fatentur, Talmud poſt A. C. 400. a R. Aſe colligi cœptum, & circiter annum 500. a R. Joſe aliisque abſolutum. Non licet autem vel hæc tuto credere, quoniam Hiſtorici illi, qui iſthæc tradiderunt, poſt

(s) *citante Buxtorfio de punctorum antiquitate part. 2. cap.* XI. *p.* 396.

(t) *præfatione ad Paradoxa de Nummis Hebræorum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [36] - 28

poſt milleſimum Chriſti annnum vixerunt, denique & fabulis quam multis fidem decoxerunt. Et verò Joannes Morinus in Exercitationibus Biblicis haud parum probabile reddidit, inchoatum Talmud non ante annum 600. & circa 680. tandem. completum fuiſſe. Quo minus tamen originis Talmudicæ certitudo corruat, præ aliis præſtitit ὁ πάνυ Buxtorfius, qui uti in Hebræorum ſcriptis, ſi quispiam, eſt verſatiſſimus, non veretur aſſerere, omnes Hebræos præter unicum Eliam in hoc conſentire, Talmud Babylonicum abſolutum & conſignatum eſſe A. M. 4260. & 65. vel 66. hoc eſt 430. circiter poſt vaſtatum templum ſecundum, 500. poſt Chriſtum natum annis. Licebit ex ipſius Synagoga Judaica hiſtoriam Talmudis inde ab origine aliquanto prolixius recenſere. R. Aſſo, ait, qui caput Synagogæ fuit, incepit Miſchnam exponere, ſingulisque annis duos tractatus explanavit, ita ut toto profeſſionis ſuæ curriculo bis quidem Miſchnarum ſive δευτερώσεων expoſitionem abſolverit, tractatus tamen 35. tantum ſcriptos reliquerit, ut teſtatur Rambam in præfatione in tract. Talm. זרעים de ſeminibus. Profeſſionem vero ſuam inchoaverat A. C. 367. Huic in Rectoratu ſucceſſit anno 427. Maremar, ejusque collega fuit Mar filius τῦ Rabh Aſſe, qui inde, ubi R. Aſſe ſubſtiterat, laborem ſuum orſi ſunt, & rem totam ad umbilicum deduxerunt. Hi duo poſtremi in hoc opere 73. annorum labore perfuncti ſunt, ita ut A. C. 500. integrum Talmud abſolutum, obſignatum, Talmudisque Babylonici nomen conſecutum fuerit. Quid igitur eſt, quod circa ortum autoresque Talmudis Capello dubium videri poteſt, niſi forte ſola Eliæ auctoritas, quem tamen manifeſti erroris coarguit Buxtorfi-

us (*u*) atque oſtendit, eum ſingulari oſcitantiæ exemplo annum abſoluti Talmudis Hieroſolymitani pro anno abſoluti Talmudis Babylonici ſubſtituiſſe, atque ſic primum ſibi deinde cæteris impoſuiſſe pluribus, ſcopulumque eſſe factum, in quem quamplurimi impingerent. Conringio autem facile damus, ſatis magnam eſſe hanc, quam urget, annorum diſcrepantiam, ex iis tamen, quæ hactenus ſunt allata, obſcurum amplius eſſe nequit, non ſimul & cœptum & confectum eſſe totius Talmudis opus, ſed ultra ſeculi tractum huic labori inſumtum fuiſſe. Fidem autem eorum omnium, quî hæc maximo conſenſu tradiderunt, ſuſpectam putare equidem non facile auſim. Reſtat Morini ſententia, cujus rationes num tantæ ſint, ut aſſenſum extorqueant, judicare non poſſum, ſiquidem mihi, utut de eo laboranti exercitationum ipſius copia non facta eſt; in pluribus autem eum labi ſolere, vel ſolus titulus Exercitationum Anti Morinianarum a Cl. Hottingero editarum perſvadet.

Quoniam autem prolixe ſatis de tempore confectæ Gemaræ actum eſt, non alio fine, niſi ut pateat, ad ſeculum quintum harum poſtremarum regularum conſignationem eſſe referendam, redeundum tandem eſt in viam, unde quaſi digreſſi ſumus, & ſi quæ huic inſtituto addenda videbuntur, nunc erunt ſubjungenda. Equidem has præcedentesque argumentandi atque interpretandi regulas qui ordine commentariis illuſtrarit, præter *Autorem Halichoth Olam* habemus, quod ego ſciam, neminem, plurimum tamen momenti in iis collocari, conſtat inprimis ex frequenti Rabbinorum in ſcriptis ſuis allega-

(u) *de punctorum antiquitate l.c. p.* 397.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [38] - 30

allegatione, tum & ex egregio encomio, quo in *Halichoth Olam* celebrantur, quandoquidem in earum titulo dicitur: להנחיל שרשים גדולים שמיהם מסתעפים כמו ענפים בריני התורה *sunt illis magnæ radices, e quibus quamplurimi rami in legis Divinæ juribus succrescunt.* Quid autem singulæ regulæ velint, quemque in argumentando usum præstent, in proximi capitis sectione ultima plenius declarabimus, & si quæ illuc minus apte reduci videbuntur, postremo hujus dissertationis capiti reservata exemplis aliquammultis explanabimus.

CAPVT SECVNDVM
quo
Logicæ Hebræorum methodica tractatio expeditur.

SECTIO I.
De
FINE LOGICÆ,
Articulus I.
de
FINE CUJUS.

IN omnibus artibus finis est primum in intentione, ut ipsi etiam Hebræi Doctores agnoscunt, canonemque eum disertis verbis adducunt: (x) תחלה במחשבה סוף המעשה *primum in cogitatione ultimum est in opere;* Quare & nos ante omnia, quem ipsi disputationibus suis præfixerint

(x) *libr. Cosri p. m.* 254.

rint finem, advertamus. Id verò optime ex ipſorum verbis (y) datur cognoſcere: כל מחלוקת שהיא לשם שמים סופה להתקיים ושאינה לשם שמים אין סופה להתקיים: איזו היא מחלוקת שהיא לשם שמים: זו מחלוקת הלל ושמאי ושאינה לשם שמים: זו מחלוקת קרח ועדתו: *Omnis diſputationis, quæ in honorem Dei ſuſcipitur, finis eſt ut ſtabiliatur: quæ vero non in honorem Dei ſuſcipitur, ejus finis non eſt ut ſtabiliatur. Quænam vero eſt diſputatio in honorem Dei ſuſcepta? Talis eſt diſputatio Hillelis & Schammai? quænam autem non eſt in honorem Dei ſuſcepta? talis eſt diſputatio Korachi & aſſeclarum ipſius.* Mentem hujus paragraphi ipſi nos edocebunt commentatores Hebræi: *R. Obadias de Bartenura* geminam affert ejus explicationem, quarum poſterior noſtro ſcopo videtur admodum accommodata, quando ait: אני שמעתי פירוש סופה, תכליתה המבוקש מענינה. והמחלוקת שהיא לשם שמים תכליתה והסוף המבוקש מאותה מחלוקת להשיג האמת, וזה מתקיים כמו מתוך הויכוח יתברר האמת וכמו שנתברר במחלוקת הלל ושמאי שהלכה כבית הלל. *audivi explicationem vocis* סופה *ut notet finem qui intenditur per ipſam diſputationem. Itaque diſputationis, quæ in honorem Dei eſt ſuſcepta, finis & ſcopus per eam quæſitus eſt eruere veritatem, atque hæc ſtabilitur, quemadmodum ea eluxit ex diſceptatione Hillelis & Schammai, deciſio enim eſt ſecundum Hillelis aſſeclas.* Ad eundem modum R. Abarbenel hunc locum interpretatur, docens talem intelligi diſputationem, quæ ſit inſtituta לחוציא האמת

(y) *Aboth cap. V. §. 17.*

האמת לאור ולגלות מצפוני הדברים אשר יודעו
מתוך המשא והמתן אשר במחלוקת: *ad veritatem in lucem producendam, & abſtruſa rerum revelanda, quæ cognoſcantur mediante mutua collatione in diſputatione.* Ex quo tandem illud evincitur, ex ipſorum Rabbinorum mente ſenſum verborum סופת להתקיים eſſe hunc, finis diſputationum recte inſtitutarum eſt, ut veritas cognoſcatur, atque adeo finis Logicæ Hebræorum recte conſtituitur veritas.

Porro cum alia duntaxat probabiliter, alia autem apodictice vera ſint, & pro hac veritatis differentia finis Logicæ totalis duplex alias ſtatuatur, opinio & veritas κατ' ἐξοχήν ſic dicta, diſpiciendum venit, an idem in Ebræorum Logica obtineat. Sunt quidem apud Hebræos ſententiæ immutabilis veritatis, quas *conſtitutiones Moſis e Sinai* (z) appellant, quasque pari quinimo majori autoritate pollere quam ipſam legem ſcriptam θεόπνευστον exiſtimant; hæ autem non ad Logicam ſpectant, cum nullo probationis argumento inferantur, ſed ſimpliciter nitantur traditione orali. Aliæ Ebræorum ſententiæ ſunt, quæ inferuntur per argumentationis modos, & ſi hæ quoque illationes Moſi acceptæ feruntur, nulla de iis movetur controverſia; ſin nihil de iis a Moſe acceptum eſt, accidit ſæpe inter duas conjecturas diſcrepantia, *prævalente*, ut interprete *Cl. Pocokio Maimonides præfat. cit.* de iis loquitur, *apud unum quod ipſe opinatus fuerat, apud alium quod ipſe conjectando aſſecutus. Hoc enim inter ſententias, quæ e Locis probabiliter argumentandi eruuntur, evenire ſolet.*

(z) *quænam & quot illæ ſint, legere eſt in Maimonidis præf. ad Seder Seraim. De autoritate earum conf. Hotting. Theſ. Phil. Libr.* II. *c.* 3. *Sect.* III. *p.* 555.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [41] - 33

Accidente autem hujusmodi dissensione in plurium sententiam itum est, juxta Dei mandatum, qui ad plures inclinare jubet. Istæ itaque conclusiones per argumentandi modos a Rabbinis erutæ cum tractationi nostræ sint propriæ, dicere nihil veremur, Logicæ Talmudicæ finem constituendum tantummodo esse in opinione, sive conclusione probabili, de qua in utramque partem disceptari queat.

Isthac igitur sibi præfixa meta procul esse jubent hos, quos prisci quondam Sophistæ sibi proposuerant fines, quando vel vincendi studio, vel ostentationis amore, vel etiam lucri cupiditate ferebantur. Qua severitate hos e suis proscribant finibus, ipsorum verbis sum monstraturus. Bartenorienſis ad locum supra citatum pergit commentari: מחלוקת שאינה לשם שמים תכלית הנרצה בה היא בקשת השררה ואהבת הנצוח וזה הסוף אינו כתקיים כמו שמצינו במחלוקת קרח ועדתו שהתכלית וסוף כונתם היתה בקשת הכבוד והשררה והיו להפך: *Disputationis quæ non est suscepta in honorem Dei, finis qui intenditur est, superiorem velle evadere, & studium victoriæ: atque hic finis non stabilitur* (sive non directus est ad producendam veritatem) *quemadmodum invenimus in disceptatione Corachi & assectarum ejus, quod finis & scopus intentionis ipsorum fuerit desiderium gloriæ & dominatus, sed evenit ipsis contrarium.* Similiter Abarbenel ad hunc locum docet, disputationem non debere esse institutam לקנטר ולא להתגבר זה את זה *ut alter alterum vexet, vel ei prævaleat.* Accedit & hoc, quod Logica, quam nos hac vice sumus pertractaturi, tradat modos intelligendi interpretandique scripturam, atque

atque ſit accuratius legis Divinæ ſtudium; quare nihil obſtat, quo minus ad eliminandam ab hoc ſtudio gloriæ utilitatisque privatæ cupiditatem ſequentia Talmudis verba adducantur: (a) רבי צדוק אומר אל תעשם עטרה להתגדל בהם ולא קרדום לחפור להם.

R. Zadocus dicit: ne facias ea ſc. verba legis, *coronam, ut inde magnus fias, neque ligonem, ut iis fodias;* quibus verbis & gloriæ & lucri ſtudium luculenter ſatis, ut puto, ex diſcentis animo removetur. Quod ipſum multo acrius inculcat *R. Hillel* (b): דישתמש בתגא חלף *is qui ſerviliter*, ſeu, uti *Buxtorfius* (c) explicat, lucri cauſa, operam dat coronæ legis, perit.

Articulus II.

De
FINE CUI,
Sive
Cultore Logicæ Talmudicæ genuino.

NOn cuivis datur adire Corinthum, ut in proverbio eſt, neque cuilibet gentis Ebrææ in hæc ſcientiæ legalis ſacraria penetrare integrum erat. Requirebantur aliqua, tum quæ ad ætatem, tum quæ ad ipſam diſcentis indolem ſpectabant. Ætatem quod attinet, utique recte filios mature huic ſtudio adhibendos eſſe, Judæi ſtatuerunt, iis quidem annis, quibus vegeta ipſorum complexio, quicquid imbibiſſet, facilius multo feliciusque teneret, quam de ingraveſcente ætate id exſpectari poſſit. Præclara enim iſta vox eſt Eliſæ filii Abviæ

(a) *Aboth cap. IV. §.5* (b) *Aboth cap.* I. §.13. (c) *Lex. Talm. voce* תגא *p.* 2562.

חלומד ולד למה הוא דומה: לדיו כתובה (d)
על נייר חדש והלומד זקן למה הוא דומה: לדיו
כתובה על נייר מחוק: *qui discit dum puer est, cuinam ille est similis? atramento chartæ novæ inscripto? Qui vero discit senex, cui ille est similis? atramento chartæ rasæ inscripto.* Quibus autem annis huic accuratiori legis suæ studio litare cœperint, diserte expressum legas (e)
בן חמש שנים למקרא בן עשר למשנה בן שלש
עשרה למצות בן חמש עשרה לתלמוד וגו׳
filius quinque annorum ad scripturam; decem annorum ad Mischnam, tredecim annorum ad præcepta, quindecim annorum ad Talmud (f) Sed quod quod de Doctoris capacitate Rabbini perhibere soliti sunt (g): אל
תסתכל

(d) Aboth IV, 20. (e) Aboth. V, 21. (f) *Hæc autem cum exceptione intelligenda sunt; sunt enim & in Scriptura aliqua, quæ ante trigesimum annum legere apud Judæos nefas est, quemadmodum Hieronymus præfat. ad Ezech. de Hebræis refert, quod nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii i. e. tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum canticorum, nec Ezechielis exordium & finem legere illi permittatur; Et in* Talmudico *studio sunt speciales aliqui* Tractatus *v. g. de gradibus prohibitis, quos non nisi raro discipulis explicant; sed & in genere quicquid istius subtilioris studii est, in eo exponendo admodum sunt cauti, juxta illud in Chagiga cap.* II. §. 1. אין דורשין בעריות בשלשה: ולא
במעשה בראשית בשנים: ולא במרכבה ביחיד:
אלא אם כן היה חכם ומבין מדעתו: *non explicant tractatum de prohibitis gradibus ne tribus quidem seorsim; & opus creationis i. e.* Theologiam Naturalem, *ne quidem duobus; opus verò currus i. e. abstrusius studium* Theologiæ *ne unico quidem, nisi sit adeo sapiens, ut proprio Marte intelligat.* (g) *Aboth cap.* IV. §. 20.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [44] - 36

תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו יש קנקן חדש מלא ישן ויש שאפילו חדש אין בו: *Ne intuearis cantharum, ſed id quod in eo eſt; eſt interdum cantharus novus plenus veteri vino, interdum vetus, in quo ne novum quidem ineſt:* idem de juvene affirmare non incommodum forſan fuerit, atque adeo potiorem indolis quam ætatis habendam eſſe rationem & ipſi procul dubio cenſuerunt. Bonam autem diſcentis indolem partim intellectus partim voluntatis dotibus metiebantur. Ad illius quidem dotes, quas εὐφυίαν dicere conſvevimus, ingenium referebant promtum, alacre & ad apprehendendas doctrinas aptum; tum etiam memoriam non pro communi duntaxat ratione, ſed pene ad ſtuporem felicem ſive Divinam. Huc referenda quoque erit δύναμις κριτικὴ ſive judicandi diſcernendique facultas, qua ſolidioris doctrinæ cultorem pollere debere, antiquorum etiam Rabbinorum vox eſt. Quæ ne quis gratis a me dicta eſſe exiſtimet, de ingenii & memoriæ requiſitis iſta habeat probationis momenta (*b*) ארבע מדות בתלמידים מהר לשמע ומהר לאבד יצא שכרו בהפסדו קשה לשמע וקשה לאבד יצא הפסדו בשכרו מהר לשמע וקשה לאבד חכם קשה לשמע ומהר לאבד זה חלק רע: *quatuor ſunt genera diſcipulorum: alii ſunt celeres in intelligendo, (i) & celeres in obliviſcendo, quorum lucrum in damnum exit; alii ſunt tardi in intelligendo, & tardi in obliviſcendo, quorum damnum in lucrum exit; alii celeres ſunt in intelligendo & tardi in obliviscendo, hi evadunt ſapientes; alii denique tardi*

(h) *Aboth cap. V. §. 12.* (i) *ad verbum: in audiendo, ſed audire ſæpe pro intelligere ponitur. e. g. 1. Cor. XIV. 2.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [45] - 37

di sunt in intelligendo, & celeres in obliviscendo, istorum conditio est pessima. Quod ipsum in Sepher Nizzachon pag. 6. aptissimo simili illustratur: כאשר אין גוף הקטנים יכול לסבול המאכל החזק והטוב הבשר והלחם כן החזר בשכל אין יכול לקבל חכמת האלהות: *quemadmodum corpus parvulorum cibum solidum carnem nempe & panem sustinere non potest; sic cui ingenium deest, non valet sapientiam Divinam assequi.* Judicii autem acumen quantæ necessitatis sit, pereleganti exprimunt sententia: (k) ארבע מדות ביושבי לפני חכמים: ספוג: ומשפך: משמרת: וגפה: ספוג שהוא סופג את הכל: משפך שמכניס בזו ומוציא בזו: משמרת שמוציאה את היין וקוטלת את השמרים: וגפה שמוציאה את הקמח וקוטלת את הסולת: *Quatuor sunt genera sedentium coram sapientibus, sunt enim vel instar spongiæ, vel clepsydræ, vel sacci facinacei, vel cribri. Instar spongiæ, quæ absorbet omnia: instar clepsydræ, quæ ab hâc parte intromittit, & ab illa emittit: instar sacci facinacei, qui transmittit vinum & retinet fæces: denique instar cribri pollinarii, quod secernit farinam vulgarem,(l) & colligit similam.* His venustis similitudinibus volu-

(k) *Aboth V,* 15. (l) *Diversimode hic locus fuit intellectus. Buxtorfius Lex. Talmud. voce* משפך *sic de eo habet: Cribrum pollinarium emittit farinam tenuiorem, cujus nullus est usus, & retinet similam sive meliorem. Secutus in hâc expositione Maimonidem, qui referente Cartwrighto in Mellific. Hebr. libr. III. c. 6. in commentario suo eundem in modum exponit. Huc & abit Bartenorienſis:* לאחר שמוציאים הסובין והמורסן מן הקמח הנטחן ונשאר הקמח

voluerunt eorum reprehendere ἀεργωσίαν τῆς διανοίας, qui, quicquid audivere, nulla adhibita judicii lima approbant; eorum taxare imprudentiam, qui sine delectu

הקמח הרק עם הסלת הגס והוציא החשוב מעבירין אותו בנפה רקה מאד ויורד ממנה סלת אותו הקמח הרק שהוא כעין עפרורית לבנה ונשאר הסלת הגס החשוב וכן הוו עושין למנחות *i. e. postquam separaverunt furfures a farina molita, remanet adhuc farina tenuis cum simila crassa quæ alicujus est usus. Hæc denuo succernitur per cribrum tenuius, per quod perinde delabitur omnis ista tenuis farina, quæ est instar pulviſculi albi, & remanet simila crassa, atque hæc demum est præstantissimi valoris. Et eo quidem modo præparaverunt similam in sacrificiis Deo offerendam. Verùm hæc expositio Cartwrightho, idque ut mihi videtur merito, non probatur, qui sensum istius sè haud assequi fatetur, cùm quemadmodum crassa farina sit præstantior tenuiori non intelligat. Hinc Taylerus in versione Pirke Aboth & post eum Cartwrightus l.c. aliam moliti sunt interpretationem, reddideruntque hoc modo: Cribrum quod emittit aceres, & retinet similam, i.e. triticum optimum, ex quo fit simila. Quam interpretationem fateor, ego non capio; cribrum enim pollinarium* der Beutel in einer Mühlen *non retinet triticum ex quo fit simila, sed ipsam similam* das Semmelmehl; *tum & autor hujus dicti non loquitur de primo actu molitionis, quo furfures separantur, cum* קמח *nunquam furfures denotet sed semper farinam; sed loquitur de actu molitionis bis, ter, quater repetito, tum enim non amplius furfures a farina, sed farina tenuior a crassiori* סלת *a* קמח *separatur, quod perinde peragitur; ac cum furfures a farina separantur, prout ipsa etiam vox* סלת *in Vajikra Rabba sect. 20. exponitur* קמח דקמחית סולרת *farina farinæ est simila. Igitur nos intelligimus citatum dictum de eo molitionis actu,* da das Mehl zum vierdten oder fünfften mahl aufgeschüttet wird / denn alsdenn stäubet das

ctu omnia animo recipiunt, ac haud multo poſt omnia pariter elabi animo patiuntur; iſtorum accuſare nequitiam, qui probe cognoſcentes harum rerum præ illis præſtantiam, futilia quidem & inutilia arripiunt, ſed quæ ex uſu ipſorum ſunt, neglectui habent; horum verò collaudare ſolertiam, qui dimiſſis minus eximiis doctrinis, præſtantiſſimis ſolummodo animum paſcunt. Nec minus inſignes voluntatis perfectiones in diſcipulo requirebant, quæ ad hæc capita reduci poſſe videntur. Palmam quæ omnibus fert *pietas*, quam in Logicæ Talmudicæ cultore omnino neceſſariam eſſe quivis agnoſcet, qui eam in ſacris literis interpretandis plurimùm occupari reputabit; atque ideo profanas mentes ipſi etiam Judæi ad hæc ſtudia ineptas eſſe, & ab his adytis arcendas judicarunt, ceu inter alia plurima hoc ejus rei teſtimonium eſſe poteſt: (*m*) רבי חנינא בן דוסא אומר כל שיראת חטאו קודמת לחכמתו חכמתו מתקיימת וכר׳ שחכמתו קודמת ליראת חטאו אין חכמתו מתקיימת׃

R. Chanina Doſæus inquit: cujuscunque timor peccati ſapientiam ejus antecedit, ejus ſapientia erit ſtabilis; verùm cujuscunque ſapientia antecedit timorem peccati ipſius, ejus ſapientia non erit ſtabilis. Altera inter voluntatis dotes eſt φιλομάθεια, certa ad πολυμάθειαν via, hanc inter diſcipuli virtutes primarias relatam videas in *R. Hillelis* dicto: (*n*) לא הבוישן למד *verecundus non bene diſcit.* Quid enim celebratiſſimus hic Doctor Talmu-

das klåreſte Mehl durch einen dichten Beutel in den Mehl-Kaſten hinein/ das gröbere aber wird auſſen an einen beſondern Ort hingeſchüttet/ *ceu quemvis ἀυλοψία docebit.* (m) *Aboth cap.* III. §. 9. (n) *Aboth cap.* II. §. 5.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [48] - 40

Talmudicus aliud innueret, niſi quod diſcentibus commendatiſſima eſſe debeat ἐρωτικὴ μανία, & quod eum, qui proficere exoptet, amore pernoſcendæ veritatis quodammodo inſanire oporteat. Tertium locum obtinet φιλοπονία, ſive *laboris amor & tolerantia.* Cum enim ſine ſudore nunc ad ſcientias pertendere non detur, dici vix poteſt, quanta contentione priſci Rabbini in Talmudicis interpretamentis addiſcendis tenendisque omne conſilium, ſtudium, laborem, operam, cogitationem denique omnem ponendam eſſe præceperint. Huc ſpectat adhortatio Filii Bagbag: (o) הפוך בה

והפוך בה דכולה בה ובה חזי וסיב ובלה בה
ומינה לא תזוע שאין לך מדה טובה הימנה: *verſare in ea* ſc. lege, *& verſare in ea, quia in ea totum eſt, & in eam reſpicias, & penitus conſeneſcas in ea, neque dimovearis ab ea, non enim tibi erit melior conditio quam iſta.* Atque hinc eſt, quod Talmudici ad finem cujuscunque capitis Gemaræ votum ſuum annectere ſueverunt הדרן עלך *reditus noſter ad te contingat*, (p) ſive detur nobis ut hanc lectionem ſæpiuscule relegere poſſimus. Quin negligentiam in repetenda lege eo acrius deteſtabantur, quod ea ipſa in gravem culpam incurri perſvaſiſſimi erant, ceu ipſi memorant his verbis: (q)

כל השוכח דבר אחד ממשנתו מעלה עליו הכתוב
כאלו מתחייב בנפשו שנאמר רק השמר לך ושמור
בנפשך מאד פן תשכח את הדברים אשר ראו עיניך
יכול אפילו תקפה עליו משנתו תלמוד לומר פן יסורו
מלבבך

(o) *Aboth cap. V. §. 22.* (p) *varias horum verborum interpretationes vide in Buxtorf. Lex. Talmud.* הדר *p. 598. conf. Mich. Dilherri libr. Electorum. I. cap. XI.* (q) *Aboth* III, 8.

מלפניך כל ימי חייך הא אינו מתחייב בנפשו עד שישב
ויסירם מלבו: *Quicunque oblitus fuerit verbi unius de ſtudio ſuo* (ideo quod non aſſidue repetit quæ didicerat, ut Bartenorienſis gloſſatur) *perinde æſtimat eum ſcriptura, ac ſi peccaſſet in animam ſuam, quia dicitur:* (Deut. IV, 9.) *Tantummodo cave tibi, & cuſtodi animam tuam valde, ne forte obliviſcaris ea, quæ viderunt oculi tui. Fieri forſan poteſt, ut cuipiam ſtudium hoc ſit nimis difficile; is ſibi dictum putet: Ne forte recedant ab oculis tuis per omnes dies vitæ tuæ. Ecce non peccavit in animam ſuam, donec ſedeat, & ea removeat e corde ſuo.* Non vacat ſingulas requiſitorum excutere claſſes, ſane ingentem eorum numerum in ſæpe citatis *capitulis Patrum* referri deprehendimus, unde non pigebit ex uno alteroque paragrapho eorum catalogum huc transſcribere: (r) התירה נקנית בארבעים ושמונה
מעלות ואלו הן בלמוד בשמיעת האוזן בעריכת שפתים
בבינת הלב באימה ביראה בענוה בשמחה בשמוש
חכמים בדקדוק חברים בפלפול התלמידים בישוב במקרא
במשנה בורך ארץ בארך אפים בלב טוב באמונת
חכמים בקבלת היסורין במיעוט שנה במעוט שחורת
במעוט שיחה במעוט תענוג במעוט שחוק במעוט דרך
ארץ: והמכיר את מקומו והשמח בחלקו והעשה שיג
לדבריו ואינו מחנוק טובה לעצמו אהוב אוהב את המקום
אוהב את הבריות אוהב את המישרים אוהב את
התוכחות ומתרחק מן הכבוד ואינו רודף אחר הכבוד ולא
מגיס לבו בהוראה והנושא בעול עם חברו ומכריעו
לכף זכות ומעמידו על השלום ומעמידו על האמת
ומתישב

(r) *Aboth VI, §. 5 & 6.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [50] - 42

ומתישב לבו בתלמודו שואל ומשיב שומע ומוסיף
הלומד על מנת ללמד הלומד על מנת לעשות המחכים
רבו והמבין את שמועתו והאומר דבר בשם אומרו:

Scientia legis acquiritur quadraginta octo rebus, quæ ſunt ſequentes: Inſtitutio, auſcultatio, ſuavitas oris, ingenium, pavor, timor, humilitas, lætitia, miniſterium ſapientium, grammatica exercitatio commilitonum, diſputatio condiſcipulorum, vita ſedentaria, ſcientia ſcripturæ, ſcientia Miſchnæ, ſcientia artium, longanimitas, lætus animus, fides ſapientibus habita, ſuſceptio caſtigationum, imminutio ſomni, imminutio negotiationis, imminutio confabulationis, imminutio delitiarum, imminutio riſus, imminutio rerum ſecularium. Si quis bene cognoſcit conditionem ſuam, & contentus eſt ſtatione ſua, & facit ſepimentum verbis ſuis, & non cumulat lætitiam pro ſe ipſo. Quisquis eſt amabilis, & amans Deum, amans creaturas, amans rectitudines, amans redargutiones. Quisquis fugit gloriam, nec eam inſequitur, nec extollit cor ſuum in doctrina ſua ferens jugum cum ſocio ſuo & id redigens ad æquitatem, & conſtituens eum in pace, nec non in veritate, & acquieſcere faciens cor ſuum in doctrina ſua. Interrogans & reſpondens, audiens & addens, diſcens ut doceat, & diſcens ut faciat, erudiens magiſtrum ſuum, & intelligens id quod audit, & qui dicit nomine ejus qui ipſi dixit. Hæc utut ſtylo Talmudico velut media quibus ad ſcientiam legis pertingatur, relata eſſe videas, ſi tamen probe reputaveris, rectius requiſita ex parte ſubjecti dicenda ſunt; & ſi quæ eorum hoc etiam titulo minus apta inſignita ſunt, omnia tamen recenſui, ne ordo verborum turbaretur. Tantum de Cultore Logicæ Talmudicæ dixiſſe ſufficiat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [51] - 43

SECTIO SECUNDA
De
OBJECTO
Sive
Quæstionibus.

POstquam de veritate, nec non de eo, qui ad veritatem inquirendam aptus judicetur, actum est, rationi maxime consentaneum videtur, ut porro circa quodnam veritas inveniri debeat dispiciatur. Cum autem Logica circa omnes res veritatem inquirendi inveniendique viam monstret, sequitur omnes res suo modo objectum Logicæ dici debere; quæ notio cum nimis generalis sit, & verò extra controversiam reputetur, eatenus duntaxat res omnes ad Logicam spectare, quatenus circa eas veritas inquiritur; specialius res omnes quatenus quæri possunt pro objecto Logicæ eoque formali habendæ sunt. Sed & hoc nondum satis planum est, quandoquidem Logicæ munus in differendo positum est, in differendo autem res afferre non licet, ajente Aristotele: Οὐκ ἔστιν αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας, ἀλλὰ τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα συμβόλοις. *Non licet res ipsas per se in differendo afferre, sed nominibus vice rerum utimur tanquam notis.* Igitur rectius objectum Logicæ dicuntur termini, quatenus eorum veritas inquiritur, seu paucis, quæstiones. Neque enim opinio neque scientia de ulla re haberi potest, nisi de ea quæri possit. Unde non Dialecticorum solum est interrogare & respondere, quo de Aristoteles integro libro VIII. Topicorum agit;

agit; ſed & Analytica, utut ea doctrinalis ſcientia ſit, in inquirendo occupatur, atque ſic Logicæ univerſæ objectum quæſtiones conſtituunt. Quam acceptionem uſus receptiſſimi eſſe, ex inductione artium pariter & ſcientiarum eſt evidens: Artis enim objectum nominatur id, ex quo artifex opus ſuum conficere, & in quod finem ſuum introducere laborat; & ſcientiæ objectum non dicitur omne id, circa quod ſcientia quoquo modo verſatur, ſed circa quod ea ita verſatur, ut in id finem ſuum introducere nitatur. Ad hunc modum Logicæ objectum non appellatur omne id, quod in Logica tractatur, ſed id duntaxat, circa quod ea ita eſt occupata, ut finem ſuum ſc. veritatem circa id obtinere quærat. Neque hæc ſententia nuper demum nata eſt, ſed jam antehac a celeberrimis Philoſophis, mentem Ariſtotelis probe capientibus ſtatuminata, e quibus nunc *Hedionem* & *Zeidlerum* nominaſſe ſufficiat.

Eandem Logicæ Talmudicæ rationem eſſe probatu non erit difficile, cum & ex Scriptura S. & Philologematibus haud dubiæ fidei, & inprimis ex Talmude id pateat. In ſcriptura S. quidem varia deprehendimus veſtigia. Act. XXIII, 29. expreſſe *quæſtionum de lege* fit mentio. Pariter Act. XXVI, 3. Paulus ad Agrippam inquit: *Cum te maxime gnarum eſſe ſciam omnium quæ apud Judæos ſunt & conſuetudinum & quæſtionum*, per quas quæſtiones non alias intelligemus rectius, niſi eas, quæ juxta legem Divinam enatæ ſunt, atque inprimis ad ſenſum legum Divinarum more Judaico inveſtigandum movebantur. Sic cum Paulus 1. Cor. I, 20. uſurpaverit vocem συζητητὴς, nullus dubito, quin indicaturus fuerit eum, qui hujusmodi ſubtilibus quæſtionibus aſſuetus, legibus Divinis abſtruſum ſenſum inferre ſatagit. Quod ipſum eleganter confirmatur a paraphraſte Syro, qui vo-

cem συζητητὴς reddidit בַּעַל סְפֵקוֹת (s) quod ex Rabbinorum voce דרש originem trahit, atque adeo significat eum, qui sensui allegorico intentus quæstionibus subtilibus se exercet. Inde enim sunt מדרשים *explicationes allegoricæ*, permagni a Rabbinis plerisque æstimatæ, ad quas variis quæstionibus via sternitur. Loca verò, ubi his studiis enutriebantur discipuli, בתי מדרשיהם dicta fuere. Ex qua vocum affinitate, nisi fallor, evincitur, συζητητὴν, quem Paulus vocat, esse eundem cum בעל המדרש sive *indagatore abstrusissimorum* beneficio subtilium quæstionum; ζήτημα verò esse id, super quo דרשו, sive quæstionem pro addiscenda legis subtilitate ventilatam. In quo confirmor amplius, quod eum non barbarorum modo sed & Hebræorum morem fuisse deprehendam, ut quæstionibus agerent tàm in disputando quàm docendo. Exemplum esto ipse dulcissimus servator, dum tenellus adhuc erat, inter interrogantes respondentesque a solicitis parentibus in templo repertus. Luc. II, 46. Et sane Gemara Talmudica tota constat interrogationibus & responsionibus, nec dubium ulli esse sinit, quin quæstiones sint id, circa quod veritas indagatur, seu objectum abstrusioris scientiæ Talmudicæ.

De discrimine quæstionum & problematum, quæstionum Analyticarum & Dialecticarum, & utrarumque divisione supervacaneum erit hic dicere, cum ea Logicæ Talmudicæ applicaturus contortam valde redderem dissertationem, nec quenquam usum præstarem. Id tenuisse hoc loco sufficiat, quæstiones eas solum hic tractandas fore, quæ vel directe vel indirecte ad explican-

dum

(s) *conf. Fulleri Miscellanea Sacra libr.* III. *cap.* 7. *it. Campegi Vitringæ Archisynagogum p.* 197. & 200.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [54] - 46

dum aliquem ſcripturæ locum Rabbinico quidem more faciunt, atque adeo potiſſimam nobis rem fore cum ea quæſtione: *Quomodo ad hoc illudve probandum ex Scriptura S. conſequentia aliqua ſecundum Rabbinorum leges necti poſſit?*

SECTIO TERTIA
De
MEDIIS LOGICÆ HEBRÆORUM.

MEdia perveniendi ad veritatem a Philoſophis paſſim ſtatuuntur duo: Syllogiſmus & Inductio. Hæc eadem num in Talmudicis monumentis exhibeantur, magnopere dubito, nec pro ea quidem, quæ mea eſt, in his ſtudiis infantia memini me vel in ipſo Talmude deprehendere, vel alio quocunque in libro citatum reperire aliquem ſyllogiſmum in forma. Recentiores Hebræos Scriptores ſemper excipio, qui Ariſtotelicam Philoſophiam & ipſi edocti ſunt, & edocere alios nonnunquam ſuſceperunt, ceu aliquot Logicarum exemplaria in capite proœmiali enarravi. Veruntamen de iis, qui Talmudicos argutandi modos in delitiis habuerunt, firmum puto perſtare hoc aſſertum, ſyllogiſmis formalibus ipſos uſos haud fuiſſe. Age quæ tandem erunt Talmudiſtarum ad veritatem perveniendi media? Ea ſunt conſequentiæ materiales, ſive illationes unius ex alio, quæ tenent vi materiæ. Materiæ inquam vi, quia in ſequentibus evadet clarius, eorum argutationes, ſi in formam redigere velis, ſæpenumero vitioſas eſſe.

Modi

Modi conſequentiarum ut alias, ſic & hoc loco ſunt admodum diverſi, ſecundum diverſos earum fontes; ſingulæ enim fere regulæ ſuperius adductæ alium exhibent conſequentiarum fontem, e quibus doctrinæ ipſorum hauriuntur, atque ideo hac parte operam prolixioris explicationis poſcunt. Quæ cum non ſuo ordine videantur eſſe collocatæ, nos eas per modum Locorum Topicorum digeremus, excuſſuri *Locum notationis, generis & ſpeciei, antecedentium & conſequentium, majoris & minoris, ſimilium, denique oppoſitorum*, operamque daturi, ut ſingulas regulas idoneis exemplis illuſtremus, & poſtremo qualemcunque cenſuram adjiciamus.

I. Locus Notationis.

NOtatio', Ariſtoteli λόγος ὀνοματώδης *interpretatio nominis* tria complectitur, etymologiam, Synonymiam & homonymiam. Qvorum evolutio a Rabbinica interpretandi ratione non usqve adeo aliena eſt, ut in iis nonnunqvam lepidam vocis derivationem, interdum varios ejus ſignificatus, rurſus alibi affinia vocabula liceat deprehendere. Sed hæc non tanti ſunt, ut in præſenti attendenda veniant; ſunt alia in nominum explicatione majoris momenti, vel ipſis plane propria, aut ſaltem ab aliis non eo fine uſurpata. *Cabbalam* intelligo Ebræorum, qvæ, prout hujus loci eſt, nihil agit aliud, niſi quod ex nominibus varie arguere docet. Neque enim me latet, quanti ambitus ſit Ebræorum Cabbala, cum ſub nomine Cabbalæ *practicæ* ſpecies quædam Magiæ venditetur, quam omnino his limitibus abeſſe jubemus. Ne tota quidem *Theoretica* Cabbala, quam vocare ſolent, præſentis eſt uſus, dum miſſa *inartificiali*, quæ celeberrimo *Wagenſeilio* dicitur monſtroſus quidam

dam fœtus ex infausta commistione doctrinæ cœlestis & gentilis Philosophiæ oriundus, eam duntaxat partem nobis examinandam sumimus, quæ *artificialis* audit, quod artis præceptis comprehenditur, & communiter ejus tres constituuntur species תמורה , גמטריא , נוטריקון in regulis autem adductis duæ tantummodo recensentur, altera tam late accepta, ut tertiam speciem sub se comprehendat, ita enim habent regulæ.

Ex R. Elieseris regulis XXXI.

מלשון נוטרקון *Ex significato per Notaricon accepto.*

ex ejusdem regulis XXXII.

מלשון גמטריא אם לחשבון האותיות אם לחילוף זו בזו *e significato per Gematriam eruto; sive per computationem literarum, sive per transpositionem hujus cum altera.*

Non latet nos, fuisse tum sæpe tum prolixe hac de materia ab aliis actum; Nota sunt, quæ celeberrimus *Pfeifferus* in *Critica sacra* p. 211. sq. citavit scripta, quibus addi potest *Henrici Mori Kabbala denudata*, satis grande opus, & demum novissimus de ea scriptor *Rosenbachius*. Nos e larga segete manipulum, aut quæ Hebræorum vox est כטפה מן הים *veluti guttulam ex vasto oceano* hauriemus, recensitas Cabbalæ species singulas saltem delibaturi.

Notaricon ad Locum Notationis spectare, & nomen ejus indicat, & res ipsa apertius loquitur. Occupatur enim circa nuda nomina, & est fons argumentorum ex vocum literis petitorum, cum vel unius vocis singulæ literæ ut integræ voces explicantur, vel plurium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [57] - 49

vocum certæ literæ ad unicam vocem exſtruendam combinantur. Prioris modi exemplum ſit ex *Num.* XXII,32. *Dixit ad eum* (Bileamum) *Angelus Domini: Quare percuſſiſti aſinam tuam nunc tribus vicibus? Ego egreſſus fui ad impediendum, propterea* (ירט) *declinavit a via coram me.* Hic Talmudiſtæ, procul dubio offenſi inconvenientia generis, quod ירט maſculinum non ſatis regulariter ad אתון fœmininum referri videatur, Cabbaliſticam verbi ירט moliti fuerunt explicationem, quam *Raſchi* in commentario ſuo ad l. c. ita commemorat: רבותינו חכמי משנה ורשותו נוטריקון יראה ראתה נסתרה *Magiſtri noſtri Doctores Miſchnici myſtice explicant* (verbum ירט) *per Notaricon hoc modo: Metuit, vidit, declinavit;* itaque iſti interpretes ex unico hoc verbo per Notaricon expoſito eruunt, primum horrorem vehementiſsimum occupaſſe aſinam in via ambulantem, tum conſpectum ab ea fuiſſe Angelum, ac poſthæc demum eam a via declinaſſe. Aliud illuſtrius exemplum occurrit *1. Reg. II, 8.* ubi David Salomoni filio vindictam committens de Simei fumendam, inquit: *Iſte maledixit mihi maledictione* נמרצת *acerrima.* Hic Talmudiſtæ ipſa contumelioſa Simei verba ex unica voce נמרצת colligunt, dum eam per Notaricon ſequentem in modum exponunt: נואף מואבי רוצח צורר תועבה i. e. *adulter, Moabita, homicida, hoſtis, abominatio*, quaſi dixiſſet David: Simei convitiis acerrimis me proſcidit, atque inter ea turpiſſimo auſu errata mea mihi exprobravit, appellando me adulterum & homicidam; converſationem quoque meam inculpabilem cum Moabitis (*1. Sam. XXII, 3.*) vitio mihi vertit, hoſtem ſalutis publicæ, populo ſancto abominabilem me nuncupavit, quid

quid ſceleris addi poteſt! cave, fili, ne impunitus ad inferos deſcendat. Addo unicum: Titulum Joſephi, quo eum Pharao inſigniebat *Gen. XLI, 45.* צפנת פענח R. *Jacob Baal Turim* ex hoc fonte duobus modis interpretatur, his verbis: צפנת פענח נוטריקון צופה פשט נפש תאוה פותיפר ענה נפשו חנם ראה צופה פודה נביא תומך פותר עגו נבון חוזה *Zophnath paaneahh per Notaricon eſt idem ac juſtus reſtitit affectui concupiſcentiæ, Potiphar afflixit eum fruſtra. Expoſitio alia: Speculator, redemtor, propheta, ſuſtentator, interpres, manſuetus, callidus, prævidens.* Sed quid tandem ſentiendum erit de hoc expoſitionum genere? Nos ita exiſtimamus, ſi ad illuſtrandum & delectandum adhibeantur, admodum gratas eſſe; ſin ad probandum, non tolerandas. Et ſi qui Judæorum vim hujusmodi conſequentiæ ſatis idoneam arbitrantur ad pervertendos ſcripturæ textus, hi ſibi dictum putent, quod nos per eundem argutandi modum ex voce נוטריקון exſculpſimus: נואלו וטעו טעות רבני קבלה וחכמי נוטריקון *deſipiunt & vehementer errant doctores cabbalæ, inque primis ſapientes Notaricon.*

Altera ſpecies Notaricon eſt huic contraria, utpote qua non ex unica voce multæ, ſed ex multis vocibus unica conſtruitur, colligendo ex ſingulis vocibus textus unicam literam, ordinarie quidem vel initialem vel finalem, extraordinarie & non niſi raro intermediam. Quando initiales conjunguntur literæ, vocantur ראשי תיבות *initia vocum*, de quibus hoc cape exemplum. *Gen. I, 12. terra produxit herbam* מזריע ערע למינהו *ſeminiſi-*

minificantem ſemen ſecundum ſpeciem ſuam, ubi *Baal Turim* notatas initiales literas in unicam combinavit vocem מזל quæ *ſidus* denotat, inde evicturus שאין לך עשב שאין לו מזל *quod nulla ſit herba, ad quam non concurrat ſiderum influxus.* Finales porro literæ ex multis vocibus in unius compagem adactæ vocantur סופי תיבות *fines vocum*, plurimaque paſſim talismodi occurrunt exempla. Nobis unicum ſufficiat *Exod. III, 13.* ואמרו לי מה שמו מה אומר אליהם *cum dixerint ad me, quodnam eſt nomen ejus; quid reſpondebo illis?* Ex his notatis literis finalibus *Baal Turim*, qui ſcatet ejusmodi obſervationibus, colligit eſſentiale Dei nomen יהוה Id quoque notandum, neque in רת neque in סת ſemper opus eſſe, ut extractæ e vocibus literæ eo ordine conjungantur, quo voces ipſæ collocatæ erant, poſſunt etiam immutare ordinem, ceu ſequens exemplum probabit. *Deut. XXXII, 26.* אשביתה מאנוש זכרם *tollam ex hominibus memoriam ipſorum.* Hic *Baal Turim* literis finalibus retrorſum lectis efficit nomen Moſis, qua occaſione ita gloſſatur; סופי תיבות למפרע משה לולא משה בחירו עמד בפרץ *literis finalibus retrorſum lectis conficitur nomen Moſis, ad indicandum, niſi Moſes electus ipſius ſtetiſſet in ruptura, ſe ſublaturum fuiſſe univerſum Israël.* In medianis literis combinandis, quod tamen rarenter fit, ea obſervanda cautela, ut literæ extrahendæ eundem numero locum in vocibus, e quibus extrahi debent, obtineant, & vel cujuslibet vocis tertia litera, vel quarta excerpatur ad conſtituendum aliquod vocabulum. Lepidum exemplum præbet celeberrimus *Wagenſeilius* in proxime allato dicto *Deut.* XXXII,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [60] - 52

XXXII,26. ex *Henrici Mori Kabbala denudata.* Refertur, inquit, Ramban ſive R. Moſche bar Nachman diſcipuli ſui carnem ſuillam comedentis exitum prænunciaſſe ex dicto: אמרתי אפאיהם אשביתה מאנוש זכרם *Dixi, exterminabo eos, ceſſare faciam ex homine memoriam eorum*, ubi ſi tertiam quamlibet literam excerpſeris, produces ר׳ אבנר i. e. *Rabbi Abner*, quod nomen erat iſtius diſcipuli. Satis, ut equidem exiſtimo, multa exempla de hâc ſpecie Notaricon fuere adducta; nec eſt quod quis aliam ejus cenſuram expectet, quam eam quæ priori ſpeciei ſubjuncta eſt, cum hujus conſequentiæ ratio antecedenti quam ſimillima deprehendatur.

Sequitur *Gematria* Cabbalæ altera ſpecies, quæ nomen habet origine Græcum, ut inter alios *R. Jom Tobb* fatetur: נראה לי שהוא שם משאל ולקוח מלשון יון שקוראים כן לחכמת המדידה והחשבורת וחכמינו השאילו השם לכך ענינו חשבון ומספר *videtur mihi quod vox iſta mutuo accepta ſit ex lingua Græca, in qua ſic appellatur ſcientia menſurandi & fractionum.* (Intelligit Geometriam) *Sapientes autem noſtri mutuo acceperunt eam vocem ad denotandam quamcunque rationem ſupputationis & numerorum.* Recte ille quidem & nominis derivationem & generalem naturam Gematriæ delineavit. Eſt enim tantæ amplitudinis, ut uno Philologorum omnium, niſi me opinio fallit, conſenſu in *Architectonicam*, *Figurativam & Arithmeticam* diſpeſcatur. Nobis tam vaſtum ambitum emetiri non licet, ſed intra inſtituti noſtri cancellos nos continebimus, Arithmeticam, quam appellant, Gematriam breviter diſcuſſuri. Eſt autem hæc ſtricte talis, definiente regula

noſtra, חשבון האותיות *ſupputatio literarum*, aut ſi quis malit ampliorem deſcriptionem percipere, eſt *fons argumentandi ex literarum ſupputatione, & inde ſenſum aliquem myſticum inferendi.* Exemplis aliquibus rem faciemus clariorem, & ne quis in computatione hæſitet, ſingula ſchemata in notis adjiciemus. *Geneſ. XXI, 7.* mirum videtur Rabbinis, quod uſurpetur infrequens in ſacro codice loquendi formula: מי מלל לאברהם *quis dixiſſet Abrahamo? lactavit Sara filium? &c.* quare *Raſchi* hunc in modum commentatur: שינה הכתוב ולא אמר דבר גימטריא שלו ק׳ כלומר לשון מאה לאברהם: דבר *Permutat ſcriptura, nec dicit* (ſed מלל), *e cujus ſupputatione emergunt 100,* (t) *ad ſubinnuendum, poſt exactos ab Abrahamo centum ætatis annos* quis præſumſiſſet hoc ipſi eventurum eſſe? Sic *Exod. III, 2.* dicitur Angelus Domini conſpectus eſſe a Moſe מתוך הסנה *e medio rubi.* Circa vocem הסנה colligitur in *Elle Schemoth Rabba* (u): רמז לו שיחיה קכ׳ שנה כמנין הסנה׳ *ſubindicatum ei fuit, fore, ut 120. annos viveret, juxta numerum literarum in voce* הסנה (x). Aliud denique exemplum vicisſim ex *Raſchi* commemorabimus, qui ad verba *Exod. XXXII, 4. Aaron*

(t)

מ	40
ל	30
ל	30
	100

(u) *citante Cartwrighto in Mellificio Hebr. l. V, c. 10.*

(x)

ח	8
ס	60
נ	50
ה	5
	123

4. *Aaron conſtruxit* עגל מסכה *vitulum fuſilem, ita* ſcribit: קכ״ה קנטרין זהב היו בו בגמטריא של מסכה *centenaria auri fuerunt in vitulo ſecundum literarum ſupputationem vocis* מסכה (*y*). Nec in ſolitariis tantum vocibus, ſed in integro ſæpe paragrapho ita procedere ſolent, ceu non ineleganti exemplo ex *Baal Hatturim* conſtat, qui tradit, cum Moſes diutius in monte Sinai commoraretur, Satanam præſtigiis ſuis illuſiſſe populo Iſraëlitico, & Moſen in feretro jacentem oculis ipſorum exhibuiſſe, idque probat ad *Exod. XXXII, 1.* his verbis (*z*): כי זה משה עד סוף הפסוק בגימטריא שהראה להם השטן מטתו של משה רבינו: *verba textus: quia hic Moſes, uſque ad finem verſus, per computationem literarum*

(y)

מ	40
ס	60
כ	20
ה	5
	125

כי	30
זה	12
משה	345
האיש	316
אשר	501
העלנו	161
מארץ	331
מצרים	380
לא	31
ידענו	140
מה	45
היה	20
לו	36
	2348

(z)

שהראה	511
להם	95
השטן	364
מטתו	455
של	330
משה	345
רבינו	268
	2348

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [63] - 55

rarum efficiunt tantundem, ac, quoniam monstraverat illis Satanas feretrum Mosis Doctoris nostri. Proh hominum fidem, quid non hoc modo ex sacro textu vana nugândi licentia exsculpat! quare videat quisque, ne hæc talia majoris faciat quam par est, sed meminerit, quod Gematria, prout literarum hujus vocis computatio docet, sit רב הכזיבם *copia mendaciorum* (*a*).

Restat ultima Cabbalæ species תמורה dicta sive *permutatio*, quæ, ut regulæ nostræ verbis utar, est חילוף זו בזו *permutatio literæ unius cum alia.* Fortassis autem nonnihil plenior erit descriptio ista: *Est fons argumentandi ex literarum transpositione vel commutatione, pro sensu mystico inferendo.* Dividitur in הפוך *inversionem literarum* & צירוף *combinationem literarum.* Quod ad primum modum attinet, est is ipse, quem Græci ab Hebræis acceptum (*b*) ἀναγραμματισμὸν vocarunt, & consistit in hoc, quod vocis alicujus literæ secum

(a)

ג	3	ר	200
מ	40	ב	2
ט	9	ה	5
ר	200	ב	2
י	10	ר	4
א	1	י	10
		ם	40
	263		263

(b) *Anagrammata Græcis usitata & magni habita Edmundus Dickinson in erudito tractatu, cui titulus: Delphi Phœnicizantes, cap.* I. *not. b. probat ex Isacio Tzetze, qui in proleg. ad Lycophron. Alexandram, de ipso Lycophrone ita scribat:* ἐυδοκίμει τότε δ' τοσῦτον διὰ τὴν πίησιν, ὅσον διὰ τὸ λέγειν ἀναγραμματισμός, *tunc (i.e. tempore Ptolemæi Philadelphi) non tam ob poësin, quam ob Anagrammatismos suos bene audiebat. Quin & exempla producit anagrammatum in honorem Ptolemæi & sororis Arsinoës, quam in matrimonio Rex habebat, compositorum, dum* πτολεμαῖος *commutavit in voces* ἀπὸ μέλιτος, Ἀρσινόη *in voces* ἴον Ἥρας, *gratiam inde regiam certo promeritus, quod ipsum arguto anagrammate*

melleum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [64] - 56

ſecum invicem tranſponuntur. De quo hæc cape inſigniora exempla. *Levit. II, 14.* uſurpatur vox כרמל ſignificatione *ſpicæ*, rationem appellationis reddunt Talmudici ex literarum tranſpoſitione, per quam effingitur רך מל *tenue & fricabile.* Similiter primam S. codicis vocem בראשית per inverſionem literarum exponunt h. m. א בתשרי *prima dies Tisri* (menſis Judæorum, qui reſpondet fere noſtro Septembri) atque inde evincunt, mundum creatum fuiſſe autumni tempore, quod ipſum quoque per Gematriam, quam modo tradidimus, probat *Baal Hatturim ad Geneſ. I, 1.* eo quod בראשית ברא eundem in literis numerum contineat, ac hæ voces בראש השנה נברא *in initio anni creatus eſt* ſc. mundus, nempe utrinque efficitur 1116. Initium autem anni apud Judæos cadit in menſem Tisri ſ. noſtrum Septembrem, ut conſtat ex *Maſſ.* ראש השנה *cap. I. §. 1.* באחד בתשרי ראש השנה לשנים *prima die menſis Tiſri eſt initium anni ad fingendos annos* (c). Ita *Baal Hatturim* per anagrammatismum vocem האדם exponit, ad *Geneſ. II, 1.* ita ſcribens: תאדם אותיות ארמה שבראו מן האדמה i. e. האדם (*Homo*) *habet easdem literas quas* ארמה (*terra*), *eo quod Deus creavit hominem e terra.* Idem ad *Geneſ. II, 1.* ſimilem notam affert: בהבראם אותיות בהבראם *Vox* באברהם בזכות אברהם נבראו שמים וארץ

(*cum melleum, & ipſius conjugem Junonis violam dixit. Hanc anagrammatum peritiam Lycophronem ab Hebræis hauſiſſe idem Dickinſon l. c. not. a. teſtimonio Blanci* Albienſis *comprobat.* (c) *Sed & ex Scriptura ex aſſignatione feſti tabernaculorum Exod.* XXIII, 16. *probari poteſt, initium anni in autumno collocatum fuiſſe. Vetuſtiſſimos quoque Ægyptios tempore Moſis initium anni a menſe Septembri ducere ſolitos Joſephus graviſſimus autor teſtatur. Quod quidem initium anni procul dubio a Judæis ac*

(cum crearentur illa) habet easdem literas ac באברהם *(ob Abrahamum) quoniam ob dignitatem (& singularem in Deum pietatem) Abrahami creatum est cœlum & terra* (d).

Posterior permutandarum literarum modus, quem צירוף appellant, est operosior, tum enim Judæi peculiaria sibi fingunt alphabeta, atque pro litera unius alphabeti substituunt literam alphabeti alterius. Alphabeta recepta sunt præprimis quatuor: אטבח, אתכש, אבגד, אלבם: de quibus, qua ratione struenda sint, sæpies a pluribus actum. Communissimum Alphabetum est Athbasch, ex quo integrum Pentateuchum explicatum se possidere *Hottingerus* (e) scribit. Nos ne quid temere prætermisisse videamur, par exemplorum afferemus. *Jer. LI, 1.* לב קמי a Rabbinis ex alphabeto Athbasch exponitur per כשדים *Chaldæos*, atque sic ipsi Jeremiam subobscure Chaldæorum nomen innuisse putant. Item *Jer. XXV, 26.* torquet interpretes vox ששך, Rabbini autem se deprehendisse existimant, non quod pueri in faba, quemadmodum vetus dictio est, exponentes vocem istam mediante alphabeto Athbasch per *Babel.* Quod ipsum non penitus improbatur *Jo. Vorstio*, veruntamen annectendum putat, cujus rei signum vox tum possit esse; si autem hoc non addatur, repudiandum censet Athbasch illud, & quod *Scaliger* fecerat *l. VI. de emendat. temp.* risu excipi-

ceperunt. vid. Antonii Thysii Exercitationes miscellaneas exerc. IV. (d) *Aliter in Gemara Sanhedrin cap. XI. vid. Coch. Sanhedrin p.* 359. אמ׳ רב לא אברי עלמא אלא לרוד אמ׳ שמואל למשה ור׳ יוחנן אמר למשיח. *Rabh inquit: Non est conditus mundus nisi in gratiam Davidis. at Samuel: in gratiam Mosis. Johannes autem ait: ob Messiam.* (e) *Thes. Philol. pag.* 450.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [66] - 58

excipiendum. Atque iccirco ipſe poſtmodum ex antiqua Babyloniorum hiſtoria rationem hujus appellationis eruit, a feſto Σακέας deſumtam. Vide ipſum pererudite hæc pertractantem peculiari *exercitatione de voce Seſach*, quam denuo excudi curavit *Thomas Crenius in Faſciculo III opuſculorum quæ ad Hiſtoriam & Philologiam ſpectant.* Solent quoque nonnunquam conjungere literarum permutationem & ſupputationem in una eademque voce explicanda; ita nomen *Saræ* exponunt per nomen *Fiſca*, eamque hac appellatione intelligi volunt *Geneſ. XI, 29.* Audiamus *Baal Hatturim* ad loc.cit:

שרה אתב"ש בג"ץ שהוא בגי' יסכה זה הוא רמז שארז"ל יסכה זו שרה: *Nomen Sarah per alphabetum Athbaſch permutatum producit* בג"ץ, *quarum literarum valor eſt idem ac nominis* יסכה *Fiſcah*, (f) *atque hinc eſt, quod Sapientes noſtri felicis memoriæ dixerunt: Fiſcah ipſa eſt Sarah.* Sed quam hæc ſint parum ſolida; recte opinatur *Druſius* (g) facile omnes animadvertere. Non opus eſt alia perſequi alphabeta, neque enim ob nimiam eorum copiam finem habitura eſſet diſſertatio. *R. Eleaſar* (h) 242 Ziruphim ſive combinationum genera deſcribit, & *Rittangelius* (i) refert, dari bis mille ſedecim combinationes in tabula minori, omiſſis cæteris tabulis & conjugationibus, combinationibus & commutationibus, quas non facile cujusquam intellectus capere nec memoria ſervare poſſit. Vſitatiores hucusque enarrando combinationes ſatisfeciſſe nos noſtro inſtituto exiſtimamus, neque etiam neceſſum judicamus, ad oſtenden-

(f) *utrinque per Gematriam producitur* 95. (g) *in Miſcellaneis Locutionum ſacrarum cent.* I. *cap.* 22. (h) *citante Rittangelio ad libr.* יצירה *p.* 28. (i) *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [67] - 59

dam conſequentiarum imbecillitatem ſimiles in Judæos retorquere, quemadmodum in explicatione Notaricon & Gematria fecimus; quandoquidem in iis inveniendis magno ingenii vigore & felicitate opus eſt, temporisque ſæpe non parum tali labori impendi oportet, nos autem ex *Horatio* turpe eſſe meminimus difficiles habere nugas. Confidimus autem, ex his, quæ adduximus, exemplis lectori ſatis conſtare poſſe, ſæpenumero ex his fontibus alluſiones promanare perelegantes, quæque memoriæ juvandæ ergo adhiberi tuto poſſunt, ad ſenſum autem dicti inferendum, nequaquam aptas eſſe.

Quandoquidem autem paulo ante de literarum tranſpoſitione actum fuit, ut eodem loco unam ex Gemariſtarum regulis explicem, occaſio jubet.

e Gemariſtarum regulis V.

גרעין. מוסיפין. ודורשין *Auferunt, addunt, & ita exponunt.*

Senſus huc redit, in more Talmudicis eſſe in explicando textu ſacro talem literarum trajectionem, qua unius vocis literam initialem ad finem ſequentis vocis transponunt, aut unius literam initialem cum finali alterius vocis conjungunt, ut nova inde vox oriatur. e.g. *Num. XXVII, 11.* pro נחלתו לשארו legunt & exponunt נחלת שארו לו *tradetis poſſeſſionem neceſſarii ejus ei*, ut doceatur, maritum uxoris hæredem eſſe. Ita quoque *Lev. XXVII, 19.* ויסף חמישיתו explicant יסף חמישית *addat quintam partem ejus*, nequaquam autem vau in mediam vocem referendum eſſe præcipiunt, qua ratione exſurgeret יסף חמישיות *addat quintas partes multas.* Iſtam autem de ſacris literis reſcindendi aut eas immu-

immutandi libidinem nemo, ſi quidem æquus judex eſſe velit, probandam exiſtimabit. Atque hæc de locis nominalibus; ſequuntur reales.

II. Locus generis & ſpeciei.

In hoc loco continentur fontes argumentandi ab eo quod generalius dicitur ad id quod ſpecialius. Seorſim autem conſiderandos exiſtimo tum ipſos terminos, qui generis aut ſpeciei rationem habent, tum prædicata, quæ iis in textu ſacro attribuuntur. Ipſorum terminorum notanda tam *reſtrictio*, qua generale vocabulum ad certas tantum ſpecies reſtringendum; quam *ampliatio*, qua ſpeciale vocabulum ad generaliorem ſignificationem tranſſumendum eſſe præcipiunt. Reſtringendi & ampliandi modos ſequentes edocebunt canones:

ex Ismaëlis regulis IV.

כלל ופרט, *generale & particulare.*

Senſus eſt; quando in textu ſacro ponitur primo vocabulum generale, atque tum ſpecies quædam ſub eo contentæ ſubjiciuntur, accidit, ut, quod genus eſſe videtur, ad eas tantum partes ſ. ſpecies, quæ in textu nominatæ ſunt, reſtringendum nec ad alias extendendum ſit. e. g. *Levit. I, 2. cum quispiam offerre voluerit oblationem Domino, de animali, de bove & de pecude offeretis oblationem.* Certe nomen בהמה (*animal*) eſt vocabulum generale, & non boves modo & oves complectitur, ſed etiam feras, prout patet ex *Levit. XI, 2. hæ ſunt feræ, quas comedere vobis licet ex omni animali terræ*, ubi expreſſe fera vocatur בהמה *animal*; imo & aſinum complectitur *Exod. XXII, 10.* neque tamen permiſſum erat

vel feram vel asinum sacrificii loco offerre. Igitur docent Rabbini, præceptum istud Mosi datum de offerendo (בהמה) animali, tantum intelligendum esse de recensitis in textu speciebus, nec ad alias species sub (בהמה) animali contentas extendendum. Quod ipsum *Raschi in comment: ad h. l.* paucissimis verbis effert; וכול אף חיה בכלל תל בקר וצאן *comprehenditur etiam in ist. hoc genere fera bestia, verum Scriptura tantum loquitur de bove & ove.* Conf. *Siphte Chakamim ad Raschi.*

ex Ismaëlis regulis V.

פרט וכלל *particulare & generale.*

Regulæ hujus priori plane contrariæ sensus huc redit: Cum in oratione sacra recensetur & genus & quædam ejus species, genus autem posteriori loco, species priori, tum generale id vocabulum non ad enumeratas duntaxat species restringendum, sed quam latissime ad omnes, quas complectitur, species est extendendum. e.g. *Exod. XXII, 9. cum dederit quispiam proximo suo asinum, aut bovem, aut agnum, aut quodcunque animal ad custodiendum* &c. hic cum antecedat enumeratio aliquarum specierum, atque deinde vox generalis (*animal*) subjungatur, adeo extendendam esse ajunt significationem animalis, ut nullum quadrupes excipiatur, sive mundum, sive immundum, cicur aut ferum sit, quodcunque quis dederit socio suo ad custodiendum, de ejus jactura socius tenebitur. Atque hæc satis recte se habere credimus.

ex Ismaëlis regulis VI.

כלל ופרט וכלל אי אתה רן אלא כעין הפרט *Generale & spe-*

ciale

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [70] - 62

ciale & rursus generale non judicare debes nisi ex ratione specialis.

Scite subjungitur superioribus binis regulis hæc tertia, qua quid sentiendum sit docetur, si in lege θεοπνεύστῳ occurrat species una vel plures, utrinque genere suo inclusæ. Dubium esse poterat, utrum iste casus ex prima regula, an ex altera sit dijudicandus, pariter enim præcedit genus species suas & sequitur. Aliud igitur consilium, quod inter hæc veluti medium est, elegere Rabbini, nec plane restringendam nec omnino extendendam esse generis significationem voluere, verum ad eas tantum revocari debere species, quæ similem cum recensitis speciebus habeant rationem. v. g. quando *Deut. XIV.* de decimis secundis quotannis Hierosolymam comportandis, ibique consumendis lex dabatur, atque is, cui longior & impeditior via esset, divendere eas & pecunia inde redacta victimas sibi & quæ ad epulum instruendum necessaria essent, Hierosolymis comparare jubebatur, ita inter alia Deus edisseruit: *v. 26. expendes pecuniam in omnia quæ desideraverit animus tuus, in boves aut in pecudes, & in vinum aut in alium potum inebriantem, denique in omnia, quæ expetierit abs te animus tuus.* Hæc duo generalia (*omnia quæ desideraverit animus tuus, omnia quæ expetierit abs te animus tuus*) non nisi ad tale quid extendenda esse Hebræi volunt, quod cum recensitis speciebus eandem naturam participet. Communem autem istam naturam in eo consistere, ut sit ולד ולדות הארץ וראוי למאכל האדם *filius filiorum terræ & aptum ut ab homine edatur;* quod verbum satis obscurum tentabimus num ex שפתי חכמים *ad comment. Raschi in h. l.* illustrari queat, ubi exemplum

plum filii filiorum terræ affertur, remotis aliis ab hoc censu alienis: כגון גצן מחרצן לאפוקי מים ומלח וכמהין ופטריות וגידולי קרקע למעוטי דגים. *veluti vitis, quæ ex acinis terræ insertis succrevit, ut excludatur aqua, sal, fungi, boleti & terræ nascentia, item ut excludantur pisces.* Quæ explicatio hoc vult: Vinum est progenies (filius) vitis, vitis autem progenies (filius) terræ, quia in terra succrevit, atque adeo vinum est progenies ex progenie (filius filii) terræ; quæ igitur inter esculenta talem rationem habent, licite emebantur pecunia ex decimis venditis collecta: Sic cerasa, poma, nuces, similia & id genus alia recte emebantur. Contra vero ea, quæ vel non e terra producuntur, qualia sunt aqua, sal, pisces &c. vel immediate nec ope cujusdam stipitis e terra nascuntur, ut sunt olera, pisa, quo & spectant quodammodo fungi & boleti &c. isto argento acquirere illicitum censebatur. Ne quid autem dissimulem, qua ratione boves pecudesve filii filiorum terræ appellentur, non capio. Equidem *Philippi Aquinatis* (k) hac de re referam sententiam, quam autem ista menti Ebræorum sit congrua, alii judicent. *Sunt enim*, inquit ille, *aut esse possunt in rerum natura taurus & vacca, ex quibus bos iste, de quo in nostro exemplo, genitus est: quod si non sint, est illius saltem species.* Mihi certe obscura hæc sunt. Pari argutandi ratione utuntur in explicatione *Exod. XXII, 9.* (l) *De omni re iniqua*, id generale est, *de bove, asino, ove, veste*, hæc specialia sunt, *de omni re iniqua*, id rursus est generale, *cum dixerit, illud ipsum esse, ad magistratus veniat negotium amborum, quem condemnaverit magistratus, rependet duplum proximo*

(k) *in explicatione tredecim modorum.* (l) *recenset Buxtorfius Lex. Talm. voce* כלל *p.* 1042.

ximo ſuo. Hæc duo generalia non de quacunque re perdita, hominis enim furto ablati alia erat ratio, ſed de omni re mobili perdita accipienda ſunt, quia ea eſt communis natura ſpecierum recenſitarum. Iſta quidem ex Ebræorum mente ita retuli, in quo autem ratio talismodi explicationis ſita ſit, non perſpicio, neque forſan ipſi aliam prætendere poſſunt, niſi quod a majoribus ſuis ita acceperint. Si quid ego judicare valeo, exiſtimarem absque cauſa ab iis generales terminos adeo arctis finibus includi, nec quicquam obſtare crederem, quo minus omnia, quæ in eſum potumque, pariter & victimæ uſum cedunt, ſive ſint filii filiorum terræ ſive minime, vi iſtius legis Divinæ licite emi potuerint. Quo autem fundamento nitatur ipſorum traditio, diſpicere non eſt meum, ipſi videant. Poſterioris loci eadem eſſet ratio, niſi occurrerent Scripturæ loca, quæ de aliis furti caſibus v. g. de plagio, aliud judicium ferrent; Itaque unus textus ſic explicandus eſt, ut cum cæteris convenientiam ſervet, non autem in tali inani conſequentia refugium quærendum.

ex Ismaëlis regulis VII.

מכלל שהוא צריך לפרט ומפרט שהוא צריך לכלל *a generali, quod eget ſpeciali, & a ſpeciali quod eget generali.*

Senſus eſt, occurrunt Scripturæ loca generalia, quæ per alia, in quibus ſtrictius & ſpecialius idem traditur, ſunt explicanda, vicisſimque ea, quæ ſpecialiter objectum iſtud tractant, non niſi in conſilium adhibito generaliori loco ſatis recte intelligi queunt. e. g. *Exod. XIII, 2.* generaliter omne primogenitum Deo conſecrandum eſſe præ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [73] - 65

cipitur his fere verbis: *Sanctifica mihi omne primogenitum, apertionem omnis uteri ex filiis Israël*; quid obstaret, quo minus etiam fœmella primogenita Deo consecranda ex hoc præcepto censeretur? igitur opus habet hoc præceptum restrictione per præceptum specialius, quod exstat *Deut. XV, 19. omne primogenitum, quod gignetur ex bobus ovibusque tuis masculum, sanctificabis Domino Deo tuo*, atque sic restringitur prius præceptum ad primogenitum masculum. Jam vero hoc ipsum speciale præceptum, quod modo ex *Deut.* XV, *19.* citavimus, non satis intelligi potest, nisi collato præcepto generaliori. Poterat enim abortivum, aut etiam is masculus, qui post unam pluresve fœmellas nascebatur, intelligi salvo *Deuteronomii* loco; quare regrediendum est ad præceptum generalius *Exodi*, ubi primogenitum ita describitur, quod primum aperit uterum, qua loquendi formula tam fœtus abortivus, quam masculi post fœmellas nati excluduntur. Ad hæc nihil monendum ducimus.

ex Eliesers regulis XII.

מדבר שנאמר בקצת והוא נוהג בכל כי
הכתוב נוהג לדבר בהווה *ex eo, quod cum restricte dicatur, in omnibus obtinet. Scriptura enim solet de eo loqui, quod utplurimum existit.*

Sensus hujus canonis non est nimis intricatus, significatque, usitatum esse, ut Scriptura de eo quod plerumque ita contingit, saltim pronunciet, & tamen universaliter velit intelligi. e. g. *Exod.* XXII, *30. carnem in agro discerptam nolite edere.* Hic inquit *Raschi in comment.* אף
בבית כן אלא שדבר הכתוב בחווה מקום שרוב בהמות
דיטרף

לוטרף *etiamne domi* sive in urbe discerptam carnem edere prohibentur? *Omnino, verum loquitur Scriptura de loco, ubi utplurimum contingit, ut bestiæ dilanient.* Pergit ibidem: וכן כי בשרה מצאה וכן אשר לא יהיה טהור מקרה ליולה הוא הדין למקרה יום אלא שרבר הכתוב בהווה *simile exemplum occurrit:* (*Deut.* XXII, 27.) *Nam in campo invenerat eam. Ita quoque* (*Deut.* XXIII, 27.) *Qui non fuerit mundus ob casum nocturnum; par ratio est casus diurni*, i. e. si interdiu quispiam polluatur, *verum scriptura loquitur de eo quod utplurimum contingit.* Sic idem ad *Exod.* XXII, 17. *Præstigiatricem ne sinas vivere*, ex *cod. Sanhedrin* refert: אחר זכרים ואחר נקבות אלא שרבר הכתוב בהווה הנשים מצויות מכשפות *perinde est, sive sint mares sive mulieres*, qui incantationibus sint dediti, *sed loquitur scriptura de eo, quod utplurimum contingit, potissimum enim mulieres magiæ operam dant.* Non inepte istarum legum extentensio ab Ebræis observata fuit. Etenim quod ad postremum locum attinet, alius Scripturæ textus sufficiens testis est, eandem esse rationem, sive vir sit sive mulier, quisquis præstigiis operam dederit, hunc mortis reum esse. *Levit.* XX, 27. Et *Philo* quoque Judaicarum legum laudatissimus interpres legem de virgine in campo constuprata ita explicat, ut locum frequentioris exempli positum esse statuat, non quod ex eo solo semper definienda sit controversia, *libro de specialibus legibus.* Consentiunt passim & Moralium Doctores & celebriores interpretes, ut adeo hæc regula censuram facile effugiat.

Quandoquidem hic de ratione extendendi significatus arctiores, & laxiores restringendi agendum duxi-

mus, non abs re fuerit, illum extendendi reſtringendique modum, qui per particulas efficitur, ibidem loci commemorare. Quo pertinent ſequentes canones:

e R. Elieſeris regulis I.

בריבוי *Ab auxeſi.*

Vox ריבוי varii uſus eſt apud Hebræos: ut præteream generalem latisſimamque ejus ſignificationem, qua *multitudinem, exaggerationem* denotat, nemini obſcurum eſt *Pluralem* quoque, quin & *notas characteriſticas Pluralis numeri* hac voce denominari. Quæ appellationes hujus loci non ſunt, ubi argumentandi loculos excutiendos habemus. Nos igitur *auxeſin* reddidimus, cum ab ea quam proxime diſtare obſervaverimus. Intelligunt enim Rabbini per ריבוי eam illationem, qua ſenſus loci alicujus augetur atque extenditur ob certas in eo exſtantes particulas. Tales particulæ ſunt inprimis גם & את de quibus *Raſchi* ad *Geneſ.* XLII, 22. אתין וגמין רבויין *particulæ* את & גם *auxeſi inſerviunt.* Præter eas ad ampliandum ſenſum אף quoque & אם ex Rabbinorum mente adhibentur, de quibus ſingulis unum alterumve exemplum juvabit videre. *Geneſ.* XXI, 1. *Et viſitavit Dominus* (את שרה) את *Saram*, vi particulæ את ita volunt ampliari debere hujus commatis ſenſum, ut non Saram modo, ſed in univerſum omnes ſteriles fœminas a Deo tum temporis fœcundatas eſſe exiſtimemus. Vim particulæ גם unico etiam exemplo cognoſcemus. *Geneſ.* III, 6. *Accepit Eva de fructu arboris, & edit, deditque* (גם) *ETIAM viro ſuo una ſecum.* Ad quæ verba *Raſchi*: גם לרבות בהמה וחיה *particula* (גם) *ETIAM adjecta eſt, ut ſimul includantur beſtiæ & feræ;* voluntque hic indica-

indicari, Evam non viro modo ſuo, ſed & brutis animantibus de fructu arboris vetitæ porrexiſſe, quod confirmatum ivit *autor* שפתי חכמים *ad Raſchi* his verbis: ראלך למה נקנסה עליהם מיתה *quodſi enim non ita foret, quam ob cauſam ipſa mulctata eſſent morte?* Hac perſvaſi ratione exiſtimant omnia animantia, unico phœnice excepto fructum arboris ſcientiæ boni & mali guſtaſſe, atque ideo phœnicem, quia de pomo non ederit, quam diutiſſime vitæ tempus producere, & demum ex ipſo funere ſuo vitam reſumere, (*m*) quorſum referunt illud *Job. XXIX, 19. Cum nido meo exſpirabo, & multiplicabo dies* כחול, quod ipſi vertunt, *ſicut phœnix.* Enimvero

 quot

(m) *B. D. Scherzerus in Trifolio Orientali p. 98. conf. Buxtorfii Lexicon Talm. p. 720. Aliunde immortalitas Phœnicis deducitur in Gemara Sanhedrin, vid. Cochii Sanhedrin p. 417. ubi refertur colloquium Elieſeris ſervi Abrahami cum Semo Noachi filio, varia quæ in arca contigerunt ipſi exponente, inter quæ aſſeverat, tunc demum phœnicem juxta votum Noachi patris ſui immortalitatem conſecutum eſſe. Integrum locum lectu jucundiſſimum optima B. L. pace adſcribam, & quia longior eſt, ſemel tantum, id eſt Latine, ex verſione Cochii recenſebo: R. Channa filius Levi ait: Elieſer ſervus Abrahami affatus eſt Semum magnum; ſcriptum eſt: (Gen. VIII, 19.) ſecundum ſpecies ſuas exierunt ex arca. Vos quomodo fuiſtis? Is reſpondit: Plurimum moleſtiæ habuimus in cibandis de die aut de nocte, prout ratio cujusque ferret, beſtiis. Erat beſtiola (זוקתא ei nomen) cui quis cibus eſſet, ignorabat pater. Aliquo die ſedens pater ſecabat malum citrinum, ex illo vermiculus elapſus eſt, quem illa exceptum edit. Deinceps lactucas condepſuit, quæ cum verminarent, cibus illi beſtiolæ erant. Leonem febris alebat. Ait enim Raſ; Non minus ſex, neque amplius duodecim dies febris alit. Alitem, cui nomen* אורשינה (*Phœnicem innuit*) *invenit in cella ſua dormientem; rogavit, amon expete-*

 ret

quot errorum plaustra in hoc genere commentationum licet deprehendere? Phœnicis enim mentio (ut ab eo exordiar, quod in recensendo proximum fuit) & coacte Jobi dictis infertur, & tota historia commentitia atque a Physi-

ret cibum? is respondit: Vidi te multas habere molestias, eo tibi nolui gravis esse. Tum ille: Faxit Deus, ut non moriaris; ideo scriptum est Job. XXIX, 18. Et dixi, cum nido meo exspirabo, & ut Chol (phœnix) multiplicabo dies. Dum hoc Semi colloquium de arcæ statu commemoro, opportune incidi in Mahomethis commentum, quo ipse Japheti sermonem de ejusdem arcæ Noachicæ statu exponit. Non ingratam rem lectori me præstiturum spero, si illud, ut a Centuriatoribus Magdeburgicis centur. VII. cap. XV. p. 608. ex libro quodam de colloquio Mahomethis cum Judæis relatum est, huc transscripsero, cum inde, quamnam originem porcorum genus, item mures & feles habeant, discere possimus. Scilicet fingunt, Christum rogatum esse a discipulis, ut modum arcæ Noæ habitumque superstitis in ea generis humani exponeret. Tum eum formulam ex luto inter manus suas confectam projecisse humi, & dixisse: Surge in nomine Patris mei. Illico surrexisse hominem canum. Cui Christus: Tu quis es? ille contra: Ego Japhet filius Noæ. Tum Jesus; Itane canus mortuus es? ille vero: nequaquam, sed in hac ipsa hora, putans me ad diem judicii surgere, metu canus effectus sum. Rursum exorsus Jesus præcepit, ut omnem historiam arcæ discipulis rogantibus exponeret. Tunc cum re omni a primordio narrata pervenisse demum ad hunc sermonem: Cum secessus, inquit, pondere egestionis arcam inclinaret, timuimus valde. Consuluit itaque pater Deum. Cui Deus: Adduc, inquit, elephantem, & verte posteriora ejus super locum. Et fecit. Vbi ergo elephas simum suum hominum egestioni injecit, surrexit sus grandis. Quæ cum omnem massam illam rostro fossorio dispergeret, conceptum insvetis naribus fœtorem efflans, murem edidit. Qui deinde cum tabulas indesinenter roderet, consulto pater Domino, leonem in fronte percutit. Leo concitus flatu anhelo cattum naribus ejicit. Fabellarum equidem satis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [78] - 70

a Physicis eluſa eſt. Porro bruta animantia morte multata eſſe, perperam aſſeritur, utpote quæ præclara immortalitatis dote nunquam prædita fuere, & ſi vel maxime ea prædita fuiſſent, nimis tamen pingvis foret illa locutio, bruta mulctata eſſe, quæ ut ſunt intellectus expertia, libertateque agendi deſtituta nunquam culpam committere, nunquam reatum contrahere potuerunt. Quare vim particulæ גם alio torqueri facile quisque ſentit, cum id potius eadem intendatur, deplorandum eſſe, quod non Eva ſolum, ſed & Adam, qui tamen præſtantioribus dotibus excelluerit, de fructu vetito comederit, atque adeo fortunatiſſimum Protoplaſtorum par ſui prorſus diſſimile ad infauſtiſſimam ſortem redactum ſit. Neque minus culpanda eſt prima, quam in hanc claſſem retulimus, argutatio, qua phraſin: *Deus viſitavit* (את שרה) את *Saram* adeo extendendam eſſe ajunt, ut omnes ſteriles una viſitatas eſſe intelligamus. Equidem particulâ את ibidem ob effœtam Saræ ſenectam fœcunditatis iſtius miraculum exaggerari concedimus, verum Rabbinorum commentum nemo ſane in illo gurgite, ut in proverbio eſt, quæſiviſſet. Sed ne in cenſendis iſtorum ψευδεξμηνείαις ſim longior, ad reſiduas duas particulas explicandas exempla aliqua proferentur. De particula אף ex Eliſæi hiſtoria depromunt exemplum, cum *2. Reg. II, 14.* legatur: אף הוא ויכה את המים *ETIAM ille percuſſit aquas*, volunt, per particulam (אף) *ETIAM* doceri, ab Eliſæo magis edita fuiſſe miracula in Jordanis diviſione, quam ab Elia, nam in Elia unius ſaltem hominis meritum conſtitiſſe, at in Eliſæo duorum meritum, ſui ipſius & Eliæ, ſe exſeruiſſe. Quemadmodum in univerſum miraculorum multitudine Eliam antecelluit Eliſæus, cum ab iſto octo tantummodo, ab hoc ſedecim miracula edi-

ta

ta esse referantur. Nos facile largimur, singularem gravitatem sermonis in loco citato deprehendi, ad quam nostri quoq; in exponendo hoc textu reflexerunt, sed quod isti sua intendunt commentatione, a scopo textus alienum est. Nec minus coacta est particulæ אם attributa emphasis *Exod. XIX, 13. ne attingat montem Sinai ulla manus, sed lapidibus obruatur, aut jaculis conficiatur* אם בחמרה אם איש *TAM bestia QUAM homo*; ad quæ verba *Bartenorienſis* (n) scribit: אם לרבות את העופות *particula* אם *additur ad includendas ipsas etiam aves.* Atque sic in hac classe argumentationum ריבוי dicta, ne unicam quidem offendimus, quæ legitime sit instituta; quare nemini mirum videbitur, si eæ, quæ ex his ortæ sunt, argumentorum species pariter futiles deprehendantur. Recensëri tamen ipsas ordo & instituti ratio postulat, ut saltem mens Rabbinorum paulisper declaretur.

ex Elieseris regulis III.

בריבוי אחר ריבוי *ab auxesi post auxesin.*

Iste argumentandi modus in eo consistit: quando ejusmodi particulæ ampliandi sensum, quales in explicatione proxime superioris regulæ attulimus, accumulantur, tum eo latius sensum loci extendendum esse ajunt. Igitur rursus de particulis את, גם, אף, duabus, tribus, pluribusve vicibus in eodem contextu repetitis exempla videamus: *Genes. IV, 1. tunc cognovit Adam Evam uxorem suam, ipsaque concepit & peperit* את קין τὸν *Cainum & ulterius peperit* את אחיו את הבל τὸν *fratrem ejus* τὸν *Abelem.* Ad quæ verba *Raschi*: ג' אתים רבויים

(n) *in comment ad §. VII. cap. V. Massechet Baba Kamma.*

רבויים הם מלמר התאומה נולדה אם קין ועם הבר
בזה נולדו שתים לכך נאמר ותיסף את *particula tribus vicibus occurrens inſervit auxeſi. Docetur quippe, gemellum fœtum editum eſſe cum Caino & cum Abele, unoquoque partu natos eſſe binos, atque ideo dicitur: & ULTERIUS Eva peperit.* (o) Similes de particula גם *ETIAM* eſt obſervatio circa *1. Sam. XVII, 36.* גם את הארי גם הדוב הכה עבדך *ETIAM τὸν leonem, ETIAM urſum percuſſit ſervus tuus.* Vnde eliciunt, quod David quinque feroces beſtias trucidaverit, leonem cum duobus catulis, & urſum cum ſuo catulo. Eandem vim *Raſchi*

(o) *Gemellos editos eſſe ab Eva in primo partu, exſtat quoque in Gemara Sanhedrin, vid. Cocb. Sanhedrin p. 212. ex quo integrum diſcurſum de creatione, generatione & lapſu primorum hominum huc tranſcribam: R. Acha filius R. Chaninæ ait: Duodecim horæ diei cum ſint, primâ coacervatus eſt pulvis, ex quo homo conderetur: ſecundâ facta eſt maſſa: tertiâ conformata ſunt membra ejus: quartâ anima ei indita eſt: quintâ in pedes ſurrexit: ſextâ dictavit nomina: ſeptimâ juncta ipſi eſt Eva: octavâ in lectum aſcenderunt bini, deſcenderunt quaterni: (innuit conceptionem Caini cum ſorore gemella) nonâ interdictum acceperunt de eſu pomi: decimâ lapſus eſt: undecimâ judicatus eſt: duodecimâ expulſus abiit. Atque id eſt, quod dicitur: Pſalm. XLIX, 13. Adam in decore non pernoctat. Quæ de Evæ conceptione gemellorum tradunt Judæi, iis conſona Mahometh ſtatuit, qui, ut eſt in Chronico Saracenorum, docuit, omnes partus Evæ gemellos fuiſſe, ſingulos ex maſculo & fœmina, præter eum partum quo Sethum enixa eſt, cum quo, utpote Prophetæ ſanctitatem & dignitatem habituro, nefas fuerit, alium fœtum in utero conjungi. Sunt enim mira & prorſus monſtroſa figmenta, quæ in commemorato Chronico de propagine Prophetarum exſtant, unde potiſſima capita relata videas in Centuriis Magdeburgenſibus cent. VII. cap. XV. p. 600.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [81] - 73

eidem particulæ tribuit ad *Exod. IV, 10. Dixit Moſes ad Dominum : Obſecro Domine, non ego ſum facundus* גם מתמול גם משלשם גם מאז דברך אל עבדך: *neque a die heſterna, neque a die abhinc tertia, neque a quo cœpiſti alloqui ſervum tuum;* hic memoratus interpres: למדנו שכלל ז׳ ימים היה הקב״ה מפתה את משה בסנה לילך בשליחותו מתמול שלשום מאז דברך הרי ג׳ ושלשה גמין רבויין הם הרי ו׳ והוא היה עומד ביום הז׳ כשאמר לו זאת עוד שלח נא ביד תשלח עד שחרה בו וקבל עליו *Diſcimus hinc, quod per integros ſeptem dies Deus benedictus allexerit Moſen in rubo, ut perfungeretur legatione ſua. In verbis enim Biblicis: ab heſterno & abhinc tertio die, a quo cœpiſti me alloqui; aperte nominatur triduum: porro particula* גם *ter repetita ſignificationem auget, ut proveniant ſex: & adhuc dum agebat Moſes ſeptimum diem, cum diceret ad Deum hæc: Mitte obſecro quem miſſurus es; Donec tandem Deus in eum ira incenſus, vi ad legationem ipſum impelleret.* Licebit ſtatim emphaſin particulæ אף illuſtri exemplo declarare, ac deinde ſimul de omnibus qualecunque judicium ſubnectere, & ut dici ſolet, una fidelia plures parietes dealbare. *Levit. XXVI, 44.* ואף גם זאת וגו׳ *VERUNTAMEN ETIAM hoc aſſevero, etiamſi fuerint in terra hoſtium ſuorũ, non reprobabo eos, neq; abominabor eos, ut internecione deleam eos, aut irritum faciam fœdus meum cum eis, quoniam ego ſum Dominus Deus illorum.* Ad quæ verba *R. Salomo ben Melech* in *Michlal Jophi* inquit: באו שני דבויים כאחד ויסוף באחר מהם אלא שבאו לתוספת רבוי *ponuntur ſimul duæ particulæ auxeſi inſervientes, cum ſuffeciſſet una ex illis, verum ponitur utraque*

que ad magis intendendam auxeſin. Imo vero mirifice delectantur Judæi iſthac intenſione, ut dulci ſpe liberationis ex ea qua nunc oppreſſi ſunt ſervitute ſe ſæpe lactent. Et cum dictio אף eundem in pronunciatione ſonum habeat ac Germanorum Aff / idcirco Judæi Germani periodum hanc a prima voce nominant den güldenen Affen/ *adeoque exultant, ut quoties eam in ſcholis & ſynagogis ſuis legant vel canant, ſummo animi gaudio voceque in altum elevata ſonent. Fertur quoque de illis, quod ex iſto loco Judæi Cæſarem Fridericum celebris memoriæ ita dementarint, ut dixerit: Judæos habere ſimiam in bibliis ſuis, quam merito aureis deberent ſcribere literis.* Hæc *Fagius* ad locum *Levitici* citatum. Non invidemus afflictæ genti ſpei ſuæ blanditias, utinam autem firmiori fundamento inniterentur; iſta enim argumentatio æque ac priores in hac claſſe invitæ, effictæ, contortæ ſunt. Tædet me pene tot futiles referentem argutationes, veruntamen cum hic locus ea dici poſtulet, ſpero optima B. L. pace cœptam telam me poſſe pertexere. Supereſt extendendi ſenſus una ratio per particulas, non ampliantes ſed reſtringentes, quales ſunt tres אך, רק, מן quæ ſi vice ſimplici in uno textu ponantur, ſenſum imminuunt; ſin iteratis vicibus, extendunt. Vnde provenere ſequentes canones:

ex Elieſeris regulis IV.

במיעוט אחר מיעוט *a diminutione poſt diminutionem.*

e Gemariſtarum regulis IX.

אין מיעוט אחר מיעוט אלא לרבות *Diminutio diminutionem non niſi ad augendum ſequitur.*

Quorum applicatio ex his exemplis conſtabit. *Geneſ. VII,*

23. Deleta est omnis substantia, quæ erat super terra, tam homines quam bruta, tam reptilia quam aves cœli, deleta sunt inquam a terra, & relictus est TANTUM-MODO Noah, & quicquid cum ipso erat in arca. Præcesserant diminutiones jam satis multæ per particulam מן indicatæ, & tamen postremo additur: אך *TANTUM-MODO* relictus est Noah, qua particula non videbatur opus esse. Hinc *Baal Hatturim* singularem ejus emphasin comminiscitur: אין מיעוט אחר מיעוט אלא לרבות לומר שאף עוג נשאר. *non sequitur diminutio diminutionem nisi ad augendum, igitur hoc loco docetur, quod etiam Og superstes manserit.* Quantumvis autem maxime sibi placeat sua illatione, risui tamen se exponit omnibus sana mente præditis, idque eo magis, quod strenue se fabulosæ suæ genti adjunxerit, & quemadmodum ea in comminiscendis de Rege Og fabellis non semel modestiæ fines transiliit, (p) ipse quoque bene & gnaviter impu-

(p) *Non ignorabunt multi fabellas de Rege Og, in Gali Rasia a Julio Cunrado Ottone relatas libr.* III. *cap.* VIII. *quas Germanico idiomate, quo liber translatus est, enarrabo:* Es lehren die Rabbinen / daß der Og König in Basan einen Stein drey Meil weges lang auf die Kinder Israel / welche ein Lager auf drey Meil weges lang gehabt / hab werffen wollen / welchen Stein als er ihn auf seinem Kopf geleget / damit er das gantze Lager der Kinder Israel auf einen Wurf verderbete / siehe da kam eine Ameiße / und löchert den Stein daß er dem Og an den Halß fiele / und da er sich von dem entledigen wolte / wuchsen ihm seine Zähne zu beyden Seiten also lang zum Maule heraus / daß er diesen Stein nimmer vom Halß bringen konte. Darnach sagt er weiter: Moses war lang zehn Ellen / und nam ein Beil / das war auch zehn Ellen lang / sprang hoch zehn

impudens esse non detrectet. Eadem regula utuntur Rabbini in exponendo *Num. XII, 2.* הרק אך *an DUNTAXAT TANTUMMODO per Mosen locutus est Deus, annon etiam per nos locutus est?* Duplici ista particula diminutiva alii aliam significari volunt auxesin. In Halichoth Olam traditur, Mirjam ista loquela se jactasse, quod Deus sibi multo ante locutus fuerit quam Mosi, & ne quis hoc ipsum temere perhiberi existimet, confirmant ex *Exod. XV, 20.* ubi Mirjam titulo Prophetissæ insignitur, & simul Aaronis soror appellatur: cum igitur mirum habeat Hebræos interpretes, quare solum Aaronis soror nominetur, quandoquidem etiam Mosis soror fuit, illuc tandem magno consensu eunt, respici in eo textu ad initia prophetiæ Mirjam, cœpisse enim eam prophetare, cum tantum esset soror Aaronis, antequam nasceretur Moses. Quod ulterius dilucidat *Raschi:*

היכן נתנבאה כשהיתה אחות אהרן קודם שנולד משה
אמרה עתידה אמי שתלד בן וכו׳ כראיתא בסוטה׳

ubinam vaticinata est, cum esset tantum soror Aaronis? antequam nasceretur Moses, ipsa dixit: Futurum est, dilecta mater, ut parias filium &c. uti exstat in Sota. Hanc igitur prophetandi prærogativam subindicasse volunt Mirjam duplici ista diminuendi particula, atque ad

zehn Ellen / und schlug nach Og König in Basan / traf ihn aber nur auf seinen Knorren. *De eodem Abba Schaul in Talm. Tract. Midda cap. 2. audet dicere, quod, cum aliquando peregrinaretur, viderit in itinere ossea tibiam illius Regis Og, quodque per tria milliaria proficisci debuerit, antequam a principio illius tibiæ usque ad ejus finem perveniret. Hæc etiam morosissimo, imo vel ipsi Heraclito risum moverent, ait Cl. Leusdenius Phil. Hebr. Mixt. dissert. XIII. in fine.*

extollendam ſuam dignitatem nimis leviter de fratris honore judicaſſe. Sed enimvero, quod ſæpius queſti ſumus, denuo queri habemus, ubi vel tantillum ſpatii ſibi concedi Judæi interpretes ſentiunt, illico pugnum ſibi præripiunt, & in cauſa non mala ultra modum evagantes, male explicando eam ipſam reddunt peſſimam. Vtique enim repetitionem particulæ diminutivæ majoris emphaſeos gratia inſtitui, & natura rei exigit, & docentibus Flacio (q) & Glaſſio (r) נַם notum eſt. Eo autem præciſe referri debere, ut Mirjam ſe ante prophetaſſe indicare voluerit, quam frater in lucem editus ſit, ſolida ratione nunquam probabitur.

Dicendum quoque aliquid eſt de modo reſtringendi generaliter dicta per certas particulas, quas diminutivas non incommode appellaveris, ſuntque tales מִן, אַךְ, רַק, *duntaxat*, *tantummodo*, *præter*, quæ ſi in oratione aliqua uſurpentur, peculiarem ad infringendam univerſalitatem vim habere credunt; quæ reſtringendi ratio his regulis abſolvitur:

ex Elieſeris regulis II.

בִּמְיעוּט *a diminutione.*

Hic eſt ſimplex ſolum imminuendi modus, quando unica vice ex particulis diminutivis aliqua occurrit. Regulæ hujus exempla ex *Halichoth Olam* ſuppeditabo. *Geneneſ. VII, 23. Relictus eſt TANTUMMODO Noah*, ubi particula אַךְ *TANTUMMODO* doceri perhibent, Noachum tantum tuſi ex frigore laboraſſe. Sic *Geneſ. XX, 11. DUNTAXAT vacuitas timoris Dei eſt in loco iſto*, in

(q) *Clav. Scripturæ, Part. I. voce* Tantummodo. *p.* 1219.
(r) *Grammat. S. p.* 433.

in quo textu particulæ רק *DUNTAXAT* significationem τῦ *hactenus* tribuunt, volúntque doceri, eousque Geraris incolas nullum sensisse timorem Dei, dum Rex Abimelechus per somnium de Abrahami statu edoctus, illis exponeret, quæ divinum Numen proxima nocte ipsi suggesserat, postea autem omnes timuisse, ut legitur v. 8. Multis autem obnoxia est hæc interpretatio difficultatibus, ut præstet cum *B. Flacio* l. c. particulæ רק in citato textu vim asseverandi assignare: *Profecto non est timor Dei in loco isto.* Tertium hujus generis exemplum ibidem affertur ex *Exod. XVIII, 13. adstabat populus Mosi* מן הבקר עד הערב quod ipsi explicant: præter mane ad vesperam; ratio autem, quare non reddi cupiant, *a matutino tempore usque ad vespertinum*, hæc est, quod ita non intelligant, quonam tempore Moses vacasset erudiendis in lege discipulis, si quidem per totum diem ad judicandum populum sedisset. Igitur hac particula מן imminui ajunt generalitatem phraseos, & sex solum horas determinari, quibus Moses in judicando occupatus fuerit. Quæ quam crassa Minerva dicantur, me non monente est evidens. Hæc de modo simplici restringendi generales formulas per particulas diminutivas dicta sunto. Sequitur ut de accumulatis particulis imminutionem inferentibus nunc dispiciamus. Infertur autem imminutio ob particulas accumulatas tum augmentativas, ut ita loquar, tum diminutivas. Prior modus רבוי אחר רבוי posterior מיעוט אחר מיעוט appellatur; inde enim est

e Gemaristarum regulis IX.

אין רבוי אחר רבוי אלא למעט *Auxesis non sequitur auxesin nisi ad minuendum.*

Non sum mei oblitus, qui auxesin post auxesin paulo superius

perius fortius extendere ſignificationem aſſerui, verum cum ab ipſis Ebræis tam ad fortiorem ampliationem quam reſtrictionem ea regula adhibeatur, ita recenſendam duxi, ut mihi ſuppeditatur. Addam tamen modum diſcernendi, utrum extendendo an reſtringendo ſenſui inſerviat. Scilicet cum difficile eſt exponere augmenta ſenſu ſibi proprio, tum aſſeverandum, Scripturam hyperbolen in augmentis adhibere, quo in re ipſa diminutionem eſſe innuat. Similiter probe memor ſum, duplicatam imminuendi particulam ad augendam ſignificationem ſupra referri, veruntamen contrario plane ſenſu in ejusdem regulæ Nonæ explicatione *Autor Halicboth Olam* commentatur, quod fere huc redit: Multis locis invenimus diminutionem poſt diminutionem, & tamen ad diminuendum referri. e.g. *Levit. I, 2. cum quiſpiam veſtrum offerre voluerit oblationem Domino, ex animalibus, ex bobus & ex ovibus offeretis oblationem veſtram;* particula מן (ex) ter in hoc textu repetita juxta Ebræos triplicem diminutionem infert, docetque, primum quidem oblationem ſumendam eſſe *ex animalibus*, ad quod verbum *Raſchi:* ולא כילה להוציא את הרובע ואת הנרבע *non autem quævis animalia, ut excludantur ea, quæ nefarium concubitum ſive peregerunt ſive perpeſſa ſunt.* Tum additur in textu: *ex bobus*, ad quæ rurſus *Raſchi:* להוציא את הנעבר *ut excludantur idolothyta.* Tandem dicitur: *ex ovibus* להוציא את המוקצה *ut* excludatur, quemadmodum *Raſchi* addit, id quod ad *idololatriam deſtinatum erat.* Sapit gloſſa hæc profundiorem ſacrificiorum notitiam, cujus deſiderium ſi quem urget, non hic ſcholam ſacrificiorum pandi ſciat, ſed adeundas eas, quas viri eruditione conſpicui jam dum inſtituerunt. Nos Logicæ incluſi limitibus hanc reſtringendi

di rationem, utut nihili ſit, cæteris ejus generis argumentationibus velut hujus claſſis clauſulam ſubjungendam exiſtimavimus.

Vbi de amplificando arctiori conceptu ſpeciei diverſa in antecedentibus attulimus, non prætermittenda demum eſt regula, qua dignitatem ſpeciei nonnunquam mirifice extolli obſervarunt:

ex Elieſeris regulis XXIV.

מדבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד עצמו׳

Ex eo quod in genere contentum ſeorſim a genere ponitur, ut de ſe ipſo aliquid doceat.

Scilicet cum ſpecies in textu ſacro ex cæterarum complexu excepta ſeparatim ponitur, volunt ſæpe indicari, eam unicam ſpeciem vel individuum tantundem valere ac cæteræ in iſto complexu contentæ ſpecies omnes, aut contenta individua omnia. (s) Sic *Num. XXXI, 6. Et miſit Moſes illos & Pineaſum*, non temere Pineas, qui in generali ſumma creditur fuiſſe comprehenſus, ſeorſim commemoratur, ſed teſte *Raſchi*, מגיד שהוריד פנחס שקול כנגד כולם *indicatur, quod Pineas fuerit æſtimatus iſtar omnium.* Sic *Jos. II, 1. Abite & percontamini terram & Hierichuntem*, ſubinnuitur, urbem hanc tanti momenti fuiſſe, quanti univerſa regio. Rurſus *2. Sam. II, 30. defuerunt ex ſervis Davidis novendecim viri & Aſahel*, colligere datur, Aſahelem fuiſſe inſtar omnium. Viciſſim *2. Sam. XXII, 1. cum Dominus eripuiſſet eum e poteſtate omnium inimicorum ipſius, & e poteſtate Saulis*, ſeorſim Saulis fit mentio, ut unius Saulis

(s) *conf. Cartwrighti Melliſ. Hebr. Libr. VI. cap. 9.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [89] - 81

lis hoſtilitatem non minus pondus habuiſſe intelligamus, ac cæterorum inimicitiæ omnium. Et *1. Reg. XI, 1. Rex Salomo diligebat mulieres peregrinas permultas, & filiam Pharaonis*, concludunt, filiam Pharaonis ſolam tanto in pretio fuiſſe Salomoni, quanto reliquæ fœmellæ omnes. Vt taceam exempla alia, vel ex his ſatis appareret, non quidem omnino nullius uſus eſſe hanc regulam, veruntamen eam nimis ſolicite diſpertiri ſpeciei ſeorſim collocatæ dignitatem, eamque velut ad lancem vocare. Emendata autem eſt a *B. Glaſſio* in hunc ſenſum, ut in eo loquendi genere copulativam *ET* idem valere cenſeamus ac *PRÆSERTIM*. Qvare non adducta modo loca melius vertas: *Et miſit Moſes illos, inprimis autem Pineaſum. Defuerunt viri novendecim & cumprimis Aſaël.* (Si modo recte Pineaſum & Aſaëlem e generali ſumma exceptum Ebræi credunt) *percontamini terram totam & præſertim Hierichuntem. Cum Dominus eripuiſſet eum e poteſtate omnium inimicorum, maxime autem Saulis. Diligebat Salomo mulieres peregrinas, & potiſſimum filiam Pharaonis;* ſed & tutius in novo fœdere monſtrabitur ſtyli convenientia, nec *Marc.* XVI, 7. *dicite diſcipulis ejus & Petro*, aliter explicandum erit quam *& præſertim Petro*, qua loquendi formula non eminentiam ejus præ reliqvis Apoſtolis, ſed ſolaminis majorem indigentiam Salvator videtur indicaturus fuiſſe. Conf. omnino *B. Glaſſius*, qvem uti & *Cartwrigthum* prolixius de hoc aliisq; ejus generis dictis diſſerentes locis citatis deprehendas. Exceptio prioris regulæ eſt

e R.

(t) *Grammat. Sacr. libr.* III. *tract.* VII. *can.* III. *p.* 598. *ſq. conf. Celeb. Dn. Danzii* Syntaxin §. 190. *num.* 7.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [90] - 82

e R. Elieſeris regulis XXV.

מדבר שהוה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על

חבירו: *ex eo quod in genere contentum ſeorſim ab eo collocatur, ut de compari aliquid doceat.*

Qvid in his locutionibus de compari doceatur, unicum exemplum docebit. *Num.*XXXV, 1. *Ne accipiatis redemtionis pretium pro ullo occiſore, qui ſit dignus morte.* Jam cum in univerſum vetitum eſſe videatur, ne quis redemtionis pretium pro eo accipiat, qui proximo ullum damnum intulerit, vi legis *Levit XXIV, 19. 20.* hanc ſeparatam capitalis pœnæ mentionem ideo fieri exiſtimant, ut doceatur, pro occiſore quidem non accipi redemtionis pretium, ſed pretium accipi pro eo, qui dentem aut oculum aliudve membrum proximi læſerit. Verum ratio conſequentiæ nimium eſt inevidens. Satis diu nos de ipſis terminis, rationem generis vel ſpeciei habentibus, agentes regularum detinuit multitudo, reſtat, ut de prædicatis eorundem pauca adjiciamus. Quæ de ſpecie prædicantur, non uno ſe habent modo; alia enim prædicata ſpeciei ſunt explanativa, atque explicant dilucidius, quæ de genere dicta fuerunt, & talia dicuntur poni ללמד *ad docendum;* alia ſunt, ut ita dicam, augmentativa, quæ prædicato generis non includuntur, ſed de ſpecie aliud quidpiam enunciant, atque adeo prædicata generica adaugent & quaſi aggravant, unde & hujusmodi propoſitiones dicuntur formatæ eſſe לטען *ad onerandum.* Prioris generis propoſitiones judicandæ ex hoc canone:

ex Ismaëlis regulis VIII.

דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד
לא ללמד על עצמו יצא. אלא ללמד על
הכלל כלו יצא *Cum aliquid ſub generali contentum ſeorſim ponitur a generali ad docendum, non ſeorſim ponitur, ut de ſeipſo doceat, ſed ut doceat de genere ſuo in univerſum.*

Hac regula, ne longus ſim, id indicatur: Quicquid prædicatur de unica ſpecie explanative, id de toto genere prædicari debet. e.g. *Exod. XXII,* $\frac{17}{18}$ lex fertur de incantatoribus in univerſum morte plectendis: *Præſtigiis utentes ne vivos relinquas*; ſub quo generali præſtigiatorum nomine comprehenduntur omnes Genethliacorum, Divinatorum, Magorum ſpecies, & de iis omnibus mortis pœna conſtituitur. Huic poſtmodum ſuccedit mandatum particulare de certa ſpecie incantatorum *Lev. XX, 27. In quocunque viro aut muliere fuerit pytho aut ſpiritus vatidicus, morte afficiantur, lapidibus obruantur, ſanguis eorum ſuper ipſis;* in qua lege particulari illud memorabile eſt, quod ad mortis pœnam in generali præcepto conſtitutam addatur mortis quædam determinatio: *lapidibus obruantur;* quod prædicatum prioris explanativum non de hâc ſolum hariolorum ſpecie, ſed de præſtigiatoribus omnibus accipiendum, eosque lapidatione mulctandos eſſe Rabbini docent. Sic in lege Divina omnes idololatræ mortis rei ſtatuuntur: *Exod. XXII,* $\frac{19}{20}$ *Sacrificans idolis anathema ſit*, quod, interprete *Raſchi*, idem eſt ac morte afficiatur, eo quod *Levit. XXVII, 29.* quisquis hominum anathemate devo-

tus

tus fuerit, non redimendus ſed morte puniendus dicitur. Iſti generali ſanctioni ſubjungitur *Levit. XX*, 2. ſpecialior: *Quisquis dederit de ſemine ſuo Molocho, morte plectatur, populus terræ obruat eum lapidibus;* quo loco non ſimpliciter, ut in generali mandato mortis pœna irrogatur, ſed præciſe ſupplicii capitalis determinatur ſpecies ſcilicet lapidatio; iſtud autem prædicatum explanativum non de ea ſolum idololatrarum ſpecie, qui Molocho litabant, ſed de omnibus in univerſum Deorum alienorum cultoribus juxta hunc canonem dici putandum eſt.

Quod iſta attinet prædicata, quæ *augmentativa* diximus, quoniam ea quæ generatim dicta fuerant, non tam explicant, quam prædicata generica magis adaugent, diverſam obtinent rationem. Si prædicata ſpeciei attributa analogiam habeant & convenientiam cum iis quæ generi adjecta erant, ſequens uſu obſervatur canon:

ex Ismaëlis regulis IX.

דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען אחר
שהוא כענינו יצא להקל ולא להחמיר

Quando aliquid ſub generali contentum excipitur a generali, ad inferendum prædicatum aliud, quod cum generico habeat convenientiam; exceptio iſta facta eſt ad ſtatuendum aliquid levius, non ad gravius.

Vt verſionis noſtræ ratio, atque adeo regulæ hujus ſenſus conſtet rectius, tria nobis momenta explicanda veniunt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [93] - 85

quæ alioquin prætermissa plane, aut minus perspicue tradita lectorem suspensum tenent. Etiamsi autem nos quoque titubanti calamo hæc aggrediamur, quod, quem tuto sequamur, sciamus neminem, tentandum tamen fuit, ne, ut tippula transilit amnem, ut canis e Nilo, nos difficiliora præsentis materiæ capita negligenter tractasse censeremur. Notamus igitur (1) quid sibi velint verba לטעון טען אחר quæ proprie sonant, *ad onerandum onus aliud;* nunc autem a nativa significatione abeundum paulisper fuit, ut tamen ratio originis servetur, reddendum duximus, *ad inferendum prædicatum aliud.* Etenim per hoc differt proxime superior a præsenti regula, quod ista non agat de sensu alio in specialiori propositione exhibito, sed de eodem, qui in generaliori adsertus fuerat; hæc autem regula de sensu alio inferendo agit. Nec repugnat טען verti prædicatum, utpote cujus significatio late patet, & in his regulis a Clarissimis Viris *Buxtorfio* & *Hottingero* cum טעם ordinarie permutatur. (2) Evolvi meretur, quid per verba שהוא כענינו indigitetur. Sane qui regulam hanc illustrare susceperunt, verbum verbo reddentes hanc effinxerunt significationem: *quod est secundum rationem ejus*; aut: *quod est simile isti negotio;* alii: *quod est ejusdem subjecti cum illo suo genere.* Quisquis autem penitius sensum regulæ indagare voluerit, ab his nihil dictum putabit. Nos, ut putamus, clarissime ita reddimus: *quod habet convenientiam cum illo* sc. generico prædicato, ut suffixum referatur ad כלל. (3) expendendum, qua ratione tales enunciationes dicantur formatæ ad minuendum non autem ad aggravandum? quod de pœna oportet intelligas, in iis enim prædicationibus, in quibus de specie alia, sed tamen priori analoga pœna prædicatur, observare datur, pœnam istam leviorem esse eâ,

eâ, quæ de universali toto affirmata erat. Verbo: Exceptio speciei a suo genere in causis pœnalibus est favorabilis, sive: Odia de genere adserta in specie sæpe sunt restringenda. Juvabit hæc intricatiora uno alterove exemplo illustrare. *Exod.* XXI, *12.* universale exstat pronunciatum: *Quisquis percutit aliquem ut moriatur, morte plectitor*; at excipitur a generali isto effato homicidium fortuitum *Deut.* XIX, *5. Si quis iverit cum proximo suo in sylvam, cæsurus ligna; & applicata manu ad securim ad excindenda ligna, excusserit ferrum ex ligno, atque occurrentem occiderit proximum suum, is fugiat ad asylorum illorum aliquod, quo vivus permaneat.* Quo sane loco homicida fortuitus sustinet aliud prædicatum, diversum ab eo, quod homicidis in genere adjectum fuerat, habet tamen cum isto hanc convenientiam, quod adhuc pœnæ rationem sustinet vid. *1. Reg. II, 36.* quam autem favorabilis sit ista homicidæ fortuiti exceptio, nemo ambiget. Simile exemplum suppeditaur *Levit.* XIII. ubi collato *versu 3.* cum *versu 46. omnes leprosi, quam diu plaga lepræ in illis est, continuo immundi pronunciantur, & solitarie extra castra degere* jubentur; at vero *versu 4. & 5.* ejusdem capitis *aliqui leprosi sub certis indiciis* ab hoc generali pronunciato excipiuntur, & saltim *per septem dies inclusioni devoventur*, quod longe lenius est priori mandato. His observatis haud difficulter rationem earum propositionum intelligemus, qui exceptæ speciei aliud prædicatum adjiciunt, quod cum generico nullam habet convenientiam, quin aliquando illi e diametro contrariatur, de his constitutus est sequens canon:

ex

ex Iſmaëlis regulis X.

כל דבר שהיה בכלל ויצא לטעון טען
אחר שלא כענינו יצא לחקל ולהחמיר.

Quando aliquid ſub generali contentum excipitur a generali ad inferendum aliud prædicatum, quod cum generico non habet convenientiam, exceptio iſta facta eſt tam ad minuendum, quam ad augendum.

Tendit igitur hæc regula eo, ut doceat, talem exceptionem ſpeciei partim eſſe favorabilem, partim odioſam. e.g. *Exod.* XXI, 2. generale exſtat edictum: *Cum emeris ſervum Ebræum, ſex annis ſerviet, anno autem ſeptimo liber exeat.* Non de ſervo tantum, ſed & de ſerva hoc accipiendum eſſe, obſcurum eſſe nequit, ſi conf. *Deut.* XV, *12. ſqq.* nihilo tamen minus ab hoc generali mandato excipiuntur ancillæ in *eodem Exodi capite v. 7.* atque aliud priori plane contrarium ſuſtinent prædicatum, in his verbis: *cum quis vendiderit filiam ſuam alteri ancillam, ea non egredietur e ſervitute, quemadmodum egrediuntur ſervi.* Hanc exceptionem partim ſpectare ajunt ad leniendam partim ad aggravandam ſervarum conditionem. Atque erat revera ſervarum conditio diverſo reſpectu tolerabilior, diverſo gravior. Tolerabilior, eo quod ante elapſum ſexennium ſervitio dimitti debebant, ſi pubertatis ſuæ prodebant indicia. Non enim licebat patri filiam ſuam in ſervitutem tradere, niſi dum minorennis erat, aut certe in pubescente adhuc ætate, ſimulac autem pubertatis prima produceret ſigna, libera exibat. Contra autem duriori premeban-

mebantur ſervitute quam ſervi hac in parte, quod (loquor nunc ex ſententia *Raſchi*) ſervi Cananæi ob violatum aliquod principale membrum ſervitio dimittebantur ante exactos ſex ſervitutis annos, ancillæ autem ideo non dimittebantur, ſed data pro ratione damni pecunia in ſervitute retinebantur. Accedit non leve ſervitutis incommodum, quod Dominus jus habebat, ancillam etiam invitam deſponſandi, in ſervum autem idem jus Domino non competebat, cui ſi extra matrimonium permanere libuit, licuit. Unde evidens eſt, ſpecialem iſtam ancillæ commemorationem partim lenius, partim gravius quid inferre, quam in genere ſervitutis onus conſtitutum erat. Addo aliud exemplum ex *Levit. XIII, 3. ſi fuerit pilus in plaga lepræ converſus in album, immundum eum pronunciet ſacerdos*, quod ſane in univerſum de omni pilo cutis dictum eſt; at *v. 29. & 30.* excipitur pilus capitis & barbæ, his verbis: *cum fuerit in viro aut muliere plaga lepræ in capite aut barba, tunc aſpiciet ſacerdos plagam, cumque aſpectum ejus profundiorem cute, pilumque in ea deprehenderit flavum & ſubtilem, immundum pronunciet eum.* Igitur non judicatur lepræ ſignum eſſe, ſi pilus capitis vel barbæ ſit albus, ſic enim ſenes facile pro leproſis haberentur, ſed in capite & barba pili flavi & tenues ſint oportet, ſi lepram inde æſtimare conveniat. Minuit igitur hæc exceptio, quoniam generali præcepto detrahit, nec ſemper ex candore pilorum lepram æſtimat. Auget autem, quoniam generali de indiciis lepræ præcepto addit & hoc, ſi pili flavi & tenues deprehendantur.

Quid tandem fiat, ſi ſpeciei exceptæ aliud attribuatur prædicatum, ob peculiarem mutationem, quæ ſpeciei acciderit, ex unico intelligemus canone:

ex Ismaëlis regulis XI.

כל דבר שהוה בכלל ויצא לידון בדבר
החדש אי אתה יכול להחזיר לכללו
עד שיחזירנו הכתוב לכללו בפירוש

Quando aliquid excipitur a genere ad arguendum de re plane nova, non potes idipsum revocare ad suum generale, donec ipsa Scriptura id clare ad suum generale revocet.

Regula hoc vult, quando ſpecies aliqua ob novum contingens excepta eſt a genere, non debet ſecundum illam generis rationem æſtimari, niſi ipſa Scriptura rurſus ita æſtimandam eſſe, diſerte edoceat. e. g. *Levit. XXII, 11. cum emerit ſacerdos quempiam pretio pecuniæ ſuæ, is licite edat de ſanctificatis, ſimiliter natus domus ejus, iſti comedent de cibo ipſius.* Excipitur autem *verſu ſequente* filia ſacerdotis, alienigenæ matrimonio juncta, ſive Levita ille ſit, ſive ex alia Israëlis tribu, de quo verba ita habent: *Filia autem ſacerdotis cum fuerit viro alieno in uxorem, illa inquam de oblatis ſacris non edat.* Hanc igitur ſacerdotis filiam nefas foret de ſacris iterum participare, niſi ipſa Scriptura iſthoc privilegio eam rurſus donaret *v. 13. Filia autem ſacerdotis cum facta fuerit vidua aut repudiata* a viro ſcilicet alieno, *nec ſoboles fuerit illi, & revertatur in domum parentis ſui, veluti cum puella adhuc eſſet, tunc de cibis parentis ſui licite comedere poteſt.* Adnectamus coronidis inſtar Loco generis bigam regularum praxi Judaicæ in foro inſervientium.

e Gemariſtarum regulis XIII.

לאו שבכללותיו אין לוקין עליו

Ob interdictum generale non vapulant.

Optimus credo interpres fuerit *Maimonides* in tractatu *de Synedriis & pœnis*, cujus adeo verbis malo ſenſum regulæ explanare quam meis, ita vero ille *cit. loc. cap. XVIII.*

אי זהו לאו שבכללות זה לאו אחד שכולל ענינים הרבה כגון לא תאכלו על הדם *Quodnam eſt præceptum negativum generale? Tale eſt præceptum negativum unicum, quod capax eſt multorum ſenſuum, e.g. Levit. XIX, 26. Ne comeditote ſuper ſanguinem.* In quam varias vias hujus interdicti interpretes diſtrahantur, licet etiam ex *Raſchi* cognoſcere, ajente: להרבה פנים נדרש בסנהדרין שלא יאכל מבשר קדשים לפני זריקת דמים ואזהרה לאיכל מבהמת חולין טרם שתצא נפשה ועוד הרבה *Diverſimode explicatur hoc dictum in Sanhedrin, vel quod non comedi debeat de carne conſecrata ante diſperſionem ſanguinis; aut etiam tanquam admonitio, ne quis edat de animali profano, antequam egreſſa ſit anima ejus, aliisque modis pluribus.* Et ſane *Baal Hatturim* denuo aliam fovet opinionem, atque hoc interdictum ait ſpectare שלא לאכל אכולת בן סורר ומורה ne quis comedat epulas filii contumacis & rebellis, deſumta phraſi ex *Deut.* XXI. *18.* indicaturus forſitan prohiberi convictum cum hominibus ſangvinolentis, qui continuo cædibus inhiant, atque cum incaluere mero, inſontes neci deſtinant, invicem in atrocia

conſpirant facinora, quemadmodum ejus furfuris homunciones belle deſcribit *Salomo cap. 1. Proverb.* Dum igitur tantopere de genuino ſenſu dicti decertant, & adhuc ſub judice lis eſt, is interim in delinquentes redundat fructus, ut nemo ideo vapulet, ſi in interdictum hoc ex aliquorum mente impingere videatur. Pergit *Maimonides*, & alia interdicta, quibus res plures ſimul vetantur, in hunc etiam cenſum vocat, ita inquiens: וכן

אם אמר לא תעשה דבר פלוני ופלוני הואיל ולא ייחד
לו לאו לכל אחד ואחד מהן אין לוקין על כל אחד
ואחד אלא אם כן חלק אותה בלאוין אחרים או נאמר
מפי השמועה שנחלקו כיצד כגון זה שנאמר אל תאכלו
ממנו נא ובשל מבושל אינו לוקה על חנא וחמבושל שתים
אלא אחת ובחורש הוא אומר ולחם וקלי וכרמל לא
תאכלו וחייב על שלשתן שלשה מלקיות מפי השמועה
דמרו שזה לחלק נאמר לא ימצא בך מעביר בנו ובתו
באש קוסם קסמים ואף על פי שכלל כל העניינים
בלאו אחד הרי חלק אותם בלאוים אחרים ואמר לא
תנחשו ולא תעוננו מלמד שכל אחד מהן בלאו בפני
עצמו וכן כיוצא בזה: *Similiter ſi in Scriptura dicatur, ne facias hoc itemque illud factum, nec ſecernatur interdictum in omnia & ſingula, quæ in eo continentur, non vapulant propter unumquodque interdictum ſeparatim ſpectatum, niſi inquam Scriptura ipſa ſecernat in plura alia interdicta, aut niſi ex traditione dicatur, quod ea diſtinguenda ſint, quemadmodum e. g. hoc cum dicitur: Exod. XII, 9. Ne comedatis de eo crudum aut etiam omnino coctum. Nemo ſi transgreſſus ſit interdictum de non comedendo crudo aut nimis cocto,*

vapu-

vapulat bis ſed unica ſolum vice. Quando autem de recentibus frugibus ſcriptura dicit: Levit. XXIII, 14. *Panem toſtum & ſpicas virentes ne comedatis, qui contra deliquerit, propter iſta tria reus eſt triplicis flagellationis, per traditionem enim acceptum eſt, quod hæc ſint pro diſtinctis habenda. Sic cum dicitur Deut.* XVIII, 10. *Non inveniatur apud te, qui traducat filium ſuum aut filiam ſuam per ignem, utens divinationibus &c. quanquam hic comprehenduntur res iſtæ omnes in interdicto unico, ſunt tamen profecto alibi in Scripturis diſtincta interdicta, veluti cum dicitur Levit.* XIX, 26. *Ne auguremini neque præſtigiis utamini, quo docetur, quod omnia iſta interdicta ſint pro diſtinctis habenda, atque id genus alia.* Poterit niſi fallor ſenſus regulæ ex his ſatis patere, nec dubitandum eſt, quin recte cenſeant Rabbini, nullam dari obligationem ex lege, niſi de ejus mente ſatis certo conſtet, utrum autem ignorantia adductæ legis ſe recte muniant, ambigo. Simplicisſime enim intelligetur allatus *Levitici* locus *cap.* XIX, *26. ne comedatis carnem cum ſangvine*; eſt enim iſta ſignificatio particulæ ⟌ע non inſolita, ut adeo idem hac lege prohiberi exiſtimemus, quod *Levit. III, 17.* jam vetitum erat, cujus poſterioris legis transgreſſorem ipſi etiam Judæi flagellatione damnant, ut eſt in *Maſſecheth Maccoth cap. III.* §. 2. Cætera quæ adjiciebat pro explicanda hâc regula *Maimonides*, videntur primo intuitu conformia iſti communiter recepto Moraliſtarum ſtatuto, quod ſpecialia ſint efficaciora generalibus, ſi autem recte rem æſtimes, ea ipſa, quæ in tali complexu interdictorum continentur, æque prohibita ſunt, ac ſi ſingula ſeorſim vetita eſſent, eamque ob cauſam pariter obligant conjunctim ſpectata, ac ſi ſeparatim conſideres, nec niſi in vana interpretum

Hebræorum indulgentia nititur posteriorum interdictorum lenitas, quam nos non prolixe increpandam hoc loco ducimus, quo non de foro judiiciisque Judæorum sed de explicandi ratione sumus soliciti. Quandoquidem autem huc nos ordo perduxit, ut de flagellationis pœna, & unde illam promereri quis possit, quædam dicenda fuerint, non peccabimo si ex supra propositis unicam adjicia mus de eadem materia regulam, quæ licet huc directe non spectet, ob affinitatem tamen cum proxime præcedente regula locum in hac opella, ut quidem nostra fert opinio, non est inventura commodiorem.

e Gemaristarum regulis XIV.

לאו הניתק לעשה אין לוקין עליו׳

Ob interdictum, quod divulsum est in præceptum affirmativum, non vapulant.

Quàm regulam totidem verbis affert quoque *Maimonides l. c.* & in *Massech. Maccoth cap. III. §. 4.* eadem paulisper immutata proponitur. Dantur autem ejusmodi præcepta mixta varia, sic *Deut.* XXII, 6. 7. *ne auferas matrem cum pullis, omnino dimittas matrem, pullos autem licite retineas.* Similiter *Deut.* XXIV, 10. 11. *Noli intrare domum proximi tui ad sumendum pignus ab eo, tu foris stabis, iste autem, cui mutuo dederis, proferat foras ad te pignus suum.* Item *Levit.* XIX, 9. 10. *Noli penitus demetere angulum agri tui & spicas remanentes messis tuæ noli colligere. Vineam tuam noli racemare, nec deciduos acinos vineæ tuæ colligere, pauperibus & peregrinis relinquas ista.* His talibus præceptis non putant teneri transgressorem ut vapulet, nisi præceptum affirmativum quod in fine annexum est, penitus neglexerit.

xerit. Optime hoc ex *Bartenorienſi* (*u*) cognoſcemus: כגון לא תקח האם על הבנים ואם לקחת שלח תשלח לא תבא אל ביתו לעבוט עבוטו ואם באת והעבטת עבוטו השב תשיב לו את העבוט כל אלו אם קיים העשה אינו לוקה אבל לא קיים העשה כגון שלקח האם על הבנים ושחט או שלקח העבוט מביתו ונשרף שאינו יכול לקיים העשה הרי זה לוקה *Ne auferas matrem una cum pullis, ſin acceperis, protinus dimittas eam. Ne ingrediaris domum proximi ad ſumendum pignus ab eo, ſin ingreſſus acceperis pignus, protinus reddes ipſi pignus ſuum. Quicunque ita obſervaverit præceptum affirmativum, is non vapulat. Verum qui plane negligit præceptum affirmativum, v. g. qui aufert matrem una cum pullis, eamque macłat, aut qui acceperit pignus ex domo proximi, & comburi permiſit, ut non poſſit obſervare præceptum affirmativum, iſte profecto vapulat.* Sic & qui demeſſuerat agrum ſuum penitus, ne unico quidem excepto angulo, collegeratque ſpicas remanentes, item racemos vineæ (*x*) & acinos tempo-

(u) *ad locum cit. ex Maſſecheth Maccoth.* (x) *Quid racemos appellent Ebræi, docetur in Maſſ. Peah cap. VII, §. 4.* איזהו עוללות כל שאין לו כתף ולט נטף *i. e. Quinam ſunt racemi? quorum ramuſculus non eſt ſive botris pluribus ſive ſolitariis baccis onuſtus.* כתף *dicitur palmes a quo multi botri continuo ordine pendent, dicitur que ita, explicante Bartenorienſi, quoniam quemadmodum humerus hominis oneri ferendo aptus eſt, ſic ejusmodi palmes botris plurimis onuſtus apparet.* כתף *enim humerum ſignificat.* נטף *autem appellatur ramuſculus, in quo aliquæ ſolitariæ baccæ hærent, dicitur que hoc nomine, quoniam baccæ ejus propemodum deſtillantium gutta-*

tempore vindemiæ deciduos ſolicite conquiſiverat, ſi pœnitentia tactus pauperibus poſtmodum ea diſtribuebat, immunis erat a vapulatione, ſin, omnino vapulabat. Satis recte ſe habent iſta omnia, niſi quod ad ea ſolum interdicta inique reſtringantur, quibus expreſſe additum eſt præceptum affirmativum. Eſt enim cæterorum interdictorum eadem ratio, ut ſimul alterum contrariorum vetent, alterum faciendum præcipiant, conſentiente ipſo Hebræorum illuſtri Doctore *Raſchi* ad *Deut.* XI, 21. inquiente: דברי תורה נדרשין מכלל לאו חן ומכלל חן לאו: *verba*

guttarum figuram referunt, ut iterum Bartenorienſis itemque Elias Orientalis docet, נטף *enim ſtillare ſignificat. Si palmes erat vel botris pluribus vel baccis ſolitariis onuſtus, ſpectabat ad patremfamilias, ſin, relinquebatur pauperibus. Hinc cognoſcere datur ſingularis terræ Cananææ fertilitas, quæ unico palmite ut plurimum plures connexos protulit botros, tanto numero, ut ſolitariæ uvæ ne æſtimarentur quidem, ſed pauperibus relinquerentur. Hinc etiam de botro, quem exploratores terræ promiſſæ ſecum ferebant, admirandæ magnitudinis, rectius judicare licet, non unicam vel ſolitariam fuiſſe uvam, ſed palmitem, unde plures botri contigui dependerunt. Ad quod confirmandum facit nota R. Bartenorienſis ad Peah VII, 4.* בלשון המקרא קורא לאשכול שאין לו לא כתף ולא נטף עולל לפי שחוא לפני שאר אשכולות בעולל לפני האיש *i. e. ſtylo Biblico botrus, cujus palmes non eſt pluribus botris aut ſolitariis baccis onuſtus, vocatur* עולל, *quoniam reſpectu aliorum botrorum perinde ſe habet ac infans reſpectu viri;* (עולל *enim proprie infantem denotat*) *jam ſi exploratores unicam attuliſſent uvam, dicendum Moſi fuiſſet, quod attulerint* עולל *racemum; at ipſa Scriptura inquit, eos portaſſe* ומורה ואשכול ענבים אחד *palmitem eum botro uvarum uno, i. e. palmitem cum complexu uvarum plurium, ordine contiguo pendularum. Sed hæc obiter.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [104] - 96

verba legis in explicatione transferuntur e præcepto generali negativo in affirmativum, & e præcepto generali affirmativo in negativum: quod idem indicari existimo per Gemaristarum regulam XVI. איסור כולל איסור מוסיף *Prohibitio complectens & prohibitio addens.* Atque idcirco de quovis interdicto statuere fas erat, ut, qui contra deliquerit, sic ut nulla ex parte contrario præcepto affirmativo satisfecerit, is demum ordinariæ pœnæ reus censeatur. Sunt & aliæ de obligatione ad vapulandum regulæ, quas qui cognoscere aveat, eum ad *Maimonidem* c. l. ablegatum volumus.

III. Locus antecedentium & consequentium.

Antecedentia & consequentia dicuntur vel ratione *temporis*, cum ea, quæ prius exstiterunt vel gesta sunt, antecedere dicimus; ea quæ post exstitisse vel gesta esse legimus, consequi: vel ratione *constructionis*, qua ratione ea, quæ in construendi ordine priori loco assumimus, antecedentia, cætera consequentia appellamus, atque ita subjectum est prius prædicato: vel ratione *contextus*, ubi quæ ante textum quempiam collocata sunt, antecedentia; quæ post eum afferuntur, consequentia nuncupamus. De singulis ordine.

Antecedentia & consequentia temporis id in Scriptura peculiare habent, ut ordine sæpe inverso referantur, iis quæ tempore posteriora sunt, per προλῆψιν anticipatis, istis contra, quæ priora sunt, per ὑστερολογίαν postpositis. De quibus cum *B. Glassius*, cujus *Philologiam sacram* reconditæ eruditionis ταμεῖον vel penu tota fere Europæa orchestra admiratur legitque, judice *Georgio*

Crauſero celeberrimo Philologo νῦν δὲ ἁγίοις, in ipſo iſto aureo opere ſatis fuſe egerit, nos ſaltem fontes iſtarum obſervationum in Ebræorum regulis indicabimus. Prolepſin derivamus ex ſequenti canone:

ex Elieſeris regulis XIII.

מרבר שאחריו מעשה שהוא פרטו של ראשון:

ab eo cui ſuccedit factum, quod ſit prioris determinatio.

Cujus ſenſus eſt iſte, quodſi duobus Scripturæ locis recenſeatur aliquod factum, in altero vero loco plures recenſeantur circumſtantiæ, non exiſtimandum eſt, duas diverſas hic deſcribi hiſtorias, ſed una eſt atque eadem, alibi relata conciſius, alibi latius diducta. e. g. *Gen. I, 27.* traditur creatio hominis ad imaginem Dei, creatio maſculi & fœminæ. Traditur autem *ſequenti* quoque *capite* creatio hominis, maſculi *v. 7.* fœminæ *v. 21, 22.* Non hic alii aliique homines cenſendi ſunt creati, ſed quod in *primo capite* breviſſime erat indicatum, id in *ſecundo* aliquanto recenſetur latius, dum nimirum maſculus ex pulvere formatus dicitur, inſpirata a Deo per nares anima, fœmina vero e coſta viri alto ſomno ſopiti efficta enarratur. Huc & referri poteſt, quod *1. Sam. XIV, 41, 42.* ſubnaſcitur difficultatis. Verba, ut ex Hebraico textu vertenda ſunt, (*y*) ita habent: *Dixit Saul ad Dominum*

(y) *LXX interpretes & plerique alii textus hujus translatores, ipſeque adeo B. Lutherus ſenſum quidem textus rectiſſime expreſſerunt, verbum autem verbo, periodum periodo minus ſolicite reddiderunt, & inprimis accentuum diſpoſitionem non ſatis caute ſectati ſuerunt. Ex accentuum enim dictamine verſus 41.*

non

num Deum Israëlis: Da sortem rectam. Tunc deprehensus est Jonathan, Saul vero & populus sorte absolvebatur. Et dixit Saul: Projicite sortem inter me & Jonathanem filium meum, tunc deprehensus est Jonathan. Sane bis dicitur Jonathan deprehensus, ut videri possit, ac si Saul diffisus sortium æquitati duabus vicibus experturus fuisset, anne in Jonathane culpa iræ Divinæ hæreret. Veruntamen quod revera versus 41. minus distincte per prolepsin proposuerat, id clarius versus 42 edisserit. Scilicet Saul cum filio ab una parte, universus populus ab altera stabant, & cum invocata Divina justitia sortes inter has duas partes jacerentur, Jonathanem sorte damnatum, Saulem & populum absolutum fuisse scriptura statim commemorat; quod est breviuscule & generaliter tradere sortilegii historiam, summa velut ejus capita solum attingendo. Succedit igitur facti determinatio versu posteriori, ex quo intelligere datur, cum primo sortium jactu Saulis & Jonathanis partes damnarentur, tum præcepisse Saulem, ut altero jactu, uter ipsorum, pater filiusve, culpabilis sit, experirentur, ac tum demum Jonathanem designatum fuisse. Non alienum est ab instituto, *Raschi* opinionem de creatione avium hic inserere, de qua inter nostrates sæpe controvertitur, sintne ex terra an ex aqua productæ, illis pro sua

 senten-

non vertendus fuerat, quemadmodum ab iis vertitur: Tum deprehensus est Jonathan & Saul, populus vero absolvebatur. Sed hoc modo. Tunc *deprehensus est Jonathan, Saul vero & populus absolvebatur. Atque tum sequentem versum commodissime ita verti posse judicamus:* Dixerat enim Saul, *sc. cum sors in ipsius & filii partes cecidisset, sortimini de me & filio, atque ita deprehensus fuerat Jonathan.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [107] - 99

ſententia *verſum 20. cap. I. Geneſeos* citantibus, his contra e *cap. II. verſum 19.* & naturam ipſam avium allegantibus, cui convenientior ſit terra quam aqua. *Jarchium* hic deprehendas mediam ingredi viam, dum ſtatuit, e luto terra & aqua permixto aves creatas eſſe, id quod ipſe ad *Geneſ. II, 19.* his verbis effert: היא יצירה חיא עשויה חאמורה למעלה ויעש אלהים את חיית הארץ וגומר אלא בא ופירש שהעופות נבראו מן הרקק לפי שאמר למעלה מן המים נבראו וכאן אמר מן הארץ נבראו. *Hæc animalium efficiio eſt ea ipſa creatio, quæ jam tum memorata eſt ſuperius* (cap. I. 20.) *& creavit Deus feram terræ &c. Hic autem verſus explicat, quod aves creatæ ſint ex luto, eo quod dictum eſt ſuperius, ex aqua eas creatas eſſe, hic autem dicitur, creatas eſſe e terra.* Fallitur quidem *Raſchi*, interpretando *Gen. I, 20.* de creatione avium ex aqua, quæ ibi neutiquam aſſeritur, ſed ſolummodo jubentur aves volare ſuper terra; neque tamen eum in finem verba ipſius adduximus, verum ut exemplum obſervatæ ab eo prolepſeos ſubminiſtraremus. Nunc de hyſterologia ſive rerum ante geſtarum enarratione tardiori dicendum eſt, quam Ebræi his notarunt præceptis:

ex Elieſeris regulis XXX.

ממוקדם ומאוחר שהוא בפרשיות: *Ab antecedente & conſequente in ſectionibus Scripturæ.*

e Gemariſtarum regulis III.

אין מוקדם ומאוחר בתורה *Non eſt prius & poſterius in lege.*

Quæ licet de Synchyſi in communi agere videantur, ut-

pluri-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [108] - 100

plurimum tamen presſius ad hyſterologiam applicantur. Exemplum ſit *Exod. IV, 20. Accepit Moſes uxorem ſuam & liberos, muloque impoſuit, & reverſus eſt in terram Ægyptiacam, ſumſitque Moſes baculum Domini in manum ſuam.* In quo textu *Raſchi* ὑστερον πρότερον obſervat, inquiens: אין מוקדם ומאוחר מדוקדקים במקרא *non ſatis ſolicite obſervatur in textu ordo antecedentium & conſequentium*, quo quid indicare velit, in *Siphte Chacamim* exponitur dilucidius: דהא ויקח משה את

משה היה לו ליכתוב בתחילה קודם ויקח משה את אשתו שהרי לא במצרים לקחו אלא במדין

Ecce comma iſtud: ſumſitque Moſes baculum, erat ſcribendum ſtatim ab initio, antè verba: & accepit Moſes uxorem ſuam. Certe enim non in Ægypto demum accepit baculum ſuum, ſed dum adhuc in terra Midian erat. Plura exempla *Buxtorfius* recenſet. (z) Sic *Koheleth I, 12. Ego Eccleſiaſtes fui Rex ſuper Jeruſalem. Dixit Samuel filius Rabbi Iſaac: Hoc debuiſſet ſcribi & eſſe in principio libri, quare itaque ſcriptum eſt hoc loco?* ideo שאין מוקדם ומאוחר בתורה *Sic tradidit R. Iſmaël: Dixit inimicus, perſequar, comprehendam. Exod. XV, 9. debuiſſet eſſe principium illius cantici, quare itaque hoc loco ſcriptum eſt:* אלא שאין מוקדם ומאוחר בתורה Cætera vide citato loco. Inde porro enata eſt Rabbinis hæc obſervatio:

e Gemariſtarum regulis IV.

עירוב פרשיות *confuſio ſectionum.*

Quâ annotant, textum, qui ad aliam ſectionem ſpectat, ſæpe immiſceri alieno loco, atque ideo non quidem pla-

(z) *Lex. Talm. in voce* מאוחר *p. 62.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [109] - 101

ne ex eo loco exſtirpandum ſed huc & illuc referendum eſſe docent; cujus regulæ exemplum licet ſubobſcurum ex *Halichoth Olam* referam. *Exod. XXII,* $\frac{8}{9}$. *De omni re perdita cum dixerit Dominus, eam ipſam rem eſſe ſuam, ad magiſtratus referatur negotium &c.* verba hujus verſus כי הוא זה dicuntur inſerenda poſt verſum 24 ejusdem capitis, ubi de depoſito & mutuo agitur, ut adeo inde eliciatur, reum in cauſa depoſiti, etſi de parte non fateatur, etiam teneri ad reſtitutionem. Sed hæc, ut dixi, obſcuriora ſunt, producam nunc exemplum multo clarius & venuſtius: *Num. X.* in correctioribus exemplaribus ante verſum 35. expreſſum exſtat inverſum Nun, qualis character poſt verſum 36. ſeu in fine totius capitis repetitur. (*a*) Verſus autem intermedii habent ſe hunc in modum: *Et factume ſt, quando proficiſcebatur arca, dicebat Moſes: Exſurge Domine, ut diſſipentur inimici tui, & fugiant hoſtes tui a facie tua. Quando autem requieſcebat, dicebat Moſes: Revertere Domine ad myriades millium Israëlis.* Quam ob cauſam duo iſti verſus duobus Nun inverſis ſint incluſi, exponit *Raſchi* his verbis: עשוח לו סימניות מלפניו ומלאחריו לומר שאין זה מקומו *facta ſunt huic textui ab initio & in fine peculiaria ſigna ad indicandum, quod hic non ſit locus ei debitus.* Additur in *Siphte Chacamim*: והיכן מקומו לעיל בפ׳

(a) *in quibusdam exemplaribus hæc duo Nun inverſa ſeparatim non exſtant expreſſa, ſed verſu* 35 *Nun in voce* בנסע *& in verſu* 1. *cap. ſeq. Nun in voce* כמתאננים *retroverſum apparet, & ad elicienda myſteria a Judæis recentioribus adhibetur. Hanc autem conſignationem inverſorum Nun exemplaribus manuſcriptis minus conſentaneam eſſe, docet celeb. Leusdenius in Clave Hebraica ad h. l.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [110] - 102

בפ׳ במדבר סיני בדגלים ובמסעות וכתיב ונסע אהרל מוער מחנה הלוים וגו׳ ואחר פסוק זה ח׳ ראויה להיכתב

Vbi igitur eſt locus ei debitus? Superius in ſectione legis, quæ incipit: in deſerto Sinai, ubi agitur de vexillis & itineribus, cum ſcriptum eſt Num. II, 17. & proficiſcetur tabernaculum fœderis inter caſtra Levitarum &c. poſt iſtum verſum conveniebat, ut ſcriberetur præſens textus. Porro ſicuti non ſimpliciter e loco altero eradicandum, ſed huc & illuc referendum eſſe cenſuerunt, non defuit *Raſchi*, quin rationem aſſignaret, quare iſti duo verſus hic inſerti ſint, ita pergens: ולמה נכתב כאן כדי להפסיק בין פורענות לפורענות וכו׳ *Quamobrem igitur ſcribitur iſte textus hoc loco? ad ſegregandam unam vindictam Divinam ab altera &c.* Scilicet docent Ebræi, in verſibus proxime præcedentibus itemque immediate ſequentibus capitis proximi undecimi recenſeri gravia Israëlitarum delicta, quibus vindicem iram ſupremi Numinis laceſſiverint, ne igitur hæc duo delicta ſibi invicem proxime connexa eſſent, interjectos fuiſſe hos duos verſus. In enarrandis autem iſtis delictis mire ſe flectunt & torquent, cum poſterius quidem, quo nefarie adverſus Deum murmurabant, ſit in propatulo, in prioribus autem verſibus non adeo perſpicuum ſit, quid Israëlitæ deliquerint. *Autor Siphte Chacamim* hunc abit:

יל״ד דכתיב לעיל מוניה ויסעו מהר ה׳ הל״ל ויסעו מהר אלקים אלא כתינוק הבורח מבי״ס הספר והוא נ״ב

פערענות שטרו מה׳ *Dici poteſt, cum ſuperius v. 33. ſcritum ſit: Et proficiſcebantur a monte Domini, dicendum fuiſſe: proficiſcebantur a monte Dei, ſed ita hinc abibant,*

bant, quemadmodum puellus fugit ſcholam. Atque ea eſt cauſa vindictæ, quod receſſerunt a Domino. Verum quam coacta hæc poſterior ſit expoſitio, nec tam ad eruendum genuinum ſenſum, quam ad inferendum alienum comparata quisque intelligit. Alias fateor, non omnino mihi improbandam videri hanc *Raſchi* ſententiam, quod iſta duo Nun ſint ſigna includentia intermedios verſus, quemadmodum nos duobus circellis dimidiam partem truncatis, atque adeo fere figuram Hebraici Nun referentibus, verba ad inſtitutum directe non ſpectantia includere conſvevimus. Ratio autem hujus celebris interpretis de duobus, ut fingit, Israëlitarum delictis non arridet. In medio tamen relinquam, an quicquam certi de his characteribus dici poſſit, & annon præſtet, in genere aſſerere, rem eximie notandam ac memoriæ infigendam iis ſignificari, quemadmodum literas præter morem majuſculas vel minuſculas, item ſuſpenſas coronatasque hanc vim habere tuto aſſeritur. Plura exempla verſuum in parentheſi collocandorum a Judæis obſervari ex *Maſora* ad hunc *Numerorum* locum colligo, qua annotatur: נון סימן הדין בתוך את פסוקין ט׳ הפוכרין quod a nonnullis ita acceptum lego, *novem eſſe loca, in quibus Nun inverſum exſtet*, ſed perperam. Enumerat enim Maſora loca, in quibus ne quidem Nun occurrit, multo minus inverſum. *vid. Leusd. Clav. Hebr. p. 98.* Quare rectius mihi videor ita hanc Maſoretharum notam expoſiturus: *Novem ſunt verſus, in quibus æquum eſſet, ut ſignum Nun inverſi appingeretur*, quod ego ex regula noſtra ita intelligo, novem eſſe verſus, qui parentheſi inſcribi mereantur, eo quod non ſatis apto proprioque ſibi loco relati ſint, ſed loco ſibi debito ſint reſtituendi. Vicina eſt huic ex Elie-

ex Elieſeris regulis XX.

מדבר שנאמר בזה ואינו ענין לו אבל
הוא ענין לחבירו *ex eo, quod etſi de hoc dicatur, huc non pertinet, ſed compari competit.*

Quo ſpectat oratio Moſis, qua tribui Judæ benedicit *Deut. XXXIII, 7.* hanc non de tribu Judæ ſed Simeonis, cujus expreſſa mentio in poſtrema iſta precatione Moſis plane non facta eſt, accipiunt, tum quod hæc videatur magis indigere tali apprecatione, tum quod ratio alioquin dari non poſſit, quare Moſes Rubenitarum tribui ſtatim ſubjunxerit Judæ tribum. Addi etiam hoc poteſt ex *Raſchi* commentario, quod in ipſius precationis verbis videatur Moſes alludere ad nomen Simeonis, videlicet in voce שמע. Enimvero nonnihil afferunt iſta ſua explicatione, nondum tamen omnino rem acu tangunt. Si enim votum iſtud pro Simeonis tribu factum eſſe aſſeramus, eccur quæſo tribum Judæ Moſes prætermiſiſſet? quare nobis ea mens eſt, tribum Judæ nominari & una intelligi tribum Simeonis, quæ iſti accenſita erat, & poſſeſſio hujus per iſtam diffuſa *Joſ. XIX, 1.* unde & hæ duæ tribus una appellatur. *1. Reg.* XI, 32. vid. *Glaſſ. Rhetoric. S. p. 264. ſq.* *Idem* refert huc alium modum, hyſterologiæ analogum, cum ſcilicet in hiſtoriæ conciſa repetitione quædam adduntur, quæ in eo textu, ubi ex profeſſo hiſtoria exſtat, non leguntur. Cui ut nos quoque in noſtris regulis locum aſſignemus, occaſione ſequentis regulæ adducimur:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [113] - 105

ex Eliesers regulis XVII.

מרבר שאינו מתפרש במקומו ומתפרש במקום אחר *ex eo quod suo loco non explicatur, sed explicatur loco alio.*

Exempli loco in *Halichoth Olam* refertur, quod *Genes. II.* ex professo summa paradisi decora enarrentur, nec tamen mentio fiat tabernaculorum, ex auro gemmis ac margaritis constructorum, qualia in paradiso exstitisse *Ezech.* XXVIII, 13. edoceamur, ubi de Rege Tyrio hæc leguntur: *In Eden horto Dei fuisti, lapides pretiosi omnis generis constituebant tabernaculum tuum, sardius, topasius & adamas, chrysolithus, onyx & jaspis, saphyrus, carbunculus & smaragdus & aurum, opus tympanorum tuorum & tibiarum tuarum in die, qua creatus es, præparata fuerunt.* Verum hallucinantur in ea explicatione Ebræi nimium quantum, sensum proprium assumentes, cum tamen tropico figuratoque sensu dictum accipiendum esse ipsa textus ratio evidenter svadeat. Increpat enim Prophæta Regem Tyri, mollitie & voluptatibus diffluentem, cujus voluptuosissimum statum Edenis delitiis comparat, & incredibilem ejus luxum porro descripturus, sic eum æstimat, veluti si vestimenta ejus pretiosissimis lapidibus non tam ornata quam onerata, & pavimentum, quo incedit, radiantibus gemmis stratum esset. Quid autem monstri sit, si hoc dictum proprie de paradiso intelligas, & sequentia quoque illuc referas, puto manifestum esse. Ecquis enim dixerit, Regem Tyri revera in paradiso fuisse? quem ne quis hominum ejectis protoplastis ingrederetur, Deus Angelum custodem constituit. Nam quod R. Jehoschua, ut pervulgata

vulgata apud Judæos est opinio, Angeli excubias eluserit, vivusque paradisum perlustraverit, aut quod quatuor, ut est in *Talmud. Chagiga*, aut novem, aut, ceu aliqui Rabbinorum memorant, decem viri eo vivi penetraverint, (*b*) fabulæ sunt. Porro si propriæ interpreta-

 tioni

(b) *Windet de vita functorum statu Sect. VII. non procul ab initio. Quos autem illuc perveniſſe ajunt, ſunt ſequentes: Benjamin filius Jacob, Chileab filius David, Serah filia Aſſer, Bathia filia Pharaonis, Elieſer ſervus Abrahami, Ebedmelech æthiops, Meſſias, Elias & Jacbez filius R. Jehudæ principis. Sunt qui dicunt, etiam doctor ejus, Jehoſchua filius Levi, Henoch autem ideo quod juſtus erat in generatione ſua, neque erat ejus ſimilis, ideo vivit ille in paradiſo. Hæc Hebræorum verbis recenſet Münſterus ad Geneſ. V, 22. De R. Jehoſchuæ filii Levi introitu in paradiſum proſtat peculiaris libellus Rabbinico ſtylo ſcriptus, cujus partem excerpſit Munſterus ad Geneſ. II. & Rabbinorum ſtylo retulit, nos initium ſaltim ejus Latine recenſebimus, ut pateat, qua arte Jehoſchuam in paradiſum penetraſſe comminiſcantur. Erat, inquiunt, R. Jehoſchua juſtus & integer, antequam igitur appropinquaret tempus ejus, ut diſcederet ex mundo, dixit Deus ad Angelum mortis, dic R. Jehoſchuæ, appropinquavit tempus tuum, ut diſcedas ex hoc mundo, ſed tamen qvicqvid petieris, præſtabo tibi. Tum inquit R. Jehoſchua: Obſecro, velis mihi oſtendere locum meum in paradiſo. Reſpondit angelus mortis: Veni mecum, tum oſtendam tibi. Imo vero, inqvit R. Jehoſchua, ſed da qvæſo mihi gladium tuum, ne forte conturber a te. Protinus porrexit ei gladium. Tum progrediebatur uterque, donec pervenirent ad muros paradiſi. Confeſtim tranſiliebat R. Jehoſchua murum, & procidebat in medium paradiſum. Apprehendit quidem Angelus mortis alam pallii ejus, dixitque: Egredere hinc. R. Jehoſchua autem jurabat ſe non egreſſurum &c. Sic iſte in paradiſum pervenit, & quæ in eo deprehendebat, inprimis quod ſeptem manſiones paradiſi, auro, argento gemmisque conſpicuas attinet, R. Gamalieli per literas ſignificavit; ſi fabula vera eſt.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [115] - 107

tioni ſtricte inhæreant, inſtrumenta luxuriæ, ut *Juſtinus* tympana & tripudia vocat, jam in paradiſo exſtitiſſe, neceſſe eſt ut fateantur; quinam igitur tibicines, quales tympanotribæ fuerint, ipſorum labor erit explicare. Propius ad præſentem regulam accedit, quod *Pſ. CV, 18.* de Joſepho legitur, quod in carcere compedibus conſtrictus fuerit, id quod a Moſe nuſpiam diſerte commemoratur. Explicatur igitur aliqua hiſtoriæ circumſtantia, ut regulæ verbis utar, non loco ſuo, ſed alio. Plura exempla qui amat, adeat *Glaſſium in Grammat. S.p.756.*

Antecedentia & conſequentia temporis qua ratione in textu ſacro varie confundantur, vidimus, proximum eſt, ut quomodo antecedentia & conſequentia, reſpectu *conſtructionis* talia, ſeſe habeant, expendamus. In his ſæpe contingit, ut partes ſubjecti & prædicati ſibi invicem miſceantur, ſic ut ſubjecti partes diſruptæ prædicatum in medio incluſum teneant, quæ, niſi probe a ſe invicem ſeparentur, ſæpe obſcuram reddunt orationem. Atque hoc eſt, quod Ebræi indicare voluerunt ſequenti regula:

ex Elieſeris regulis XXIX.

ממוקדם ומאוחר שהוא בענין

ab antecedente & conſequente, quod conſtructioni ineſt.

Cujus ſenſus huc redit, in conjungendis partibus enunciationis Scripturam ſæpe non obſervare debitum ordinem, ſed, ut modo diximus, quæ ad ſubjectum (quod in conſtructione antecedentis rationem habet) pertinent, ſæpe ad prædicatum trajicere. e. g. *1. Sam. III, 3.* ubi verba hoc ordine collocata reperiuntur: *Antequam lucerna Dei exſtingueretur, tum Samuel cubabat in templo Jehovæ,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [116] - 108

Jehovæ, ubi eſt arca Dei. At nonne illicitum cenſebatur ſedere in templo, quanto magis cubare? quin etiam in atrio ſedere non licebat, niſi Regibus familiæ Davidis, quod *Cunæus* (*b*) duobus locis ex *Maimonide* adſtruit; qui igitur Samuel ibi cubavit? *R. Salomo ben Melech* quicquid id eſt difficultatis, per regulam noſtram tollere videtur, dum ſubjecti & prædicati partes ſolicite ab invicem ſegregat, inquiens: בהיכל י׳ דבק עם ונר אלהים טרם יכבה כי הנר הוה בהיכל ה׳ ושמואל הוה שוכב במקומו כי שמואל לא הוה רובב בהיכל ה׳ אלא בעזרת הלויים ולפיכך האתנחתא בשוכב לפי שאינו דבק בהיכל ה׳: *Verba: in templo Dei, cohærent cum verbis antecedentibus: Et lucerna Dei antequam exſtingveretur; lucerna enim erat in templo Dei, Samuel autem cubabat in loco ſuo, nam Samuel non cubabat in templo Dei, ſed in atrio Levitarum, atque ideo vox* שוכב *notatur accentu Athnach, quoniam non cohæret cum ſequentibus vocibus: in templo Dei.* Quodſi igitur ex mente hujus Rabbi ordinem verborum ſic redintegremus: Antequam lucerna Dei exſtingveretur, quæ erat in templo Dei, & cum Samuel adhuc cubaret, exſpirat omnis difficultas, nosque Samuelem non in templo Dei, ſed in loco ſuo accubuiſſe, & ante auroræ aſcenſum, tum enim exſtingvebantur lucernæ, a Deo vocatum fuiſſe diſcimus. Neque tamen tacere poſſum, non prorſus inepte dici Samuelem in templo Dei cubaſſe, licet in atrio Levitarum cubaverit, cum non ſanctuarium modo, ſed totus ædificiorum complexus, quæ ad tabernaculum tum temporis pertinebant, templi nomine etiam alias appelletur. Sunt tamen alia loca, in quibus

(b) *de Republica Hebræorum libr. I. cap. XIV.*

manifeſtius partes enunciationis confundi ſentias. Sic *Exod. XII, 15.* voces hoc ordine collocatæ ſunt: *Quisquis comederit fermentatum, exſciudetur anima illa ex Israël a die prima usque ad ſeptimam diem;* translocandas autem eſſe notat *Abendana* his verbis: שעור הכתוב כי כל אוכל חמץ מיום הראשון עד יום השביעי ונכרתח הנפש ההיא מישראל: *ordo conſtructionis in hoc verſu ſic habet: Quisquis comederit fermentatum a die prima usque ad ſeptimam diem, exſcindetur anima illa ex Israël.* Pariter cum *Exod. XIII, 9.* ſcribitur: *Sit tibi ſignum ſuper manu tua, & memoriale inter oculos tuos, ut verſetur lex Domini in ore tuo, quoniam manu forti eduxit te Dominus ex Ægypto;* idem in alium ordinem verba redigere ſuſcipit, ajens: שעור הכתוב והיה לאות על ידך ולזכרון בין עיניך כי בחוזק יד הוציאך ה׳ ממצרים למען תהיה תורת ה׳ בפיך: *Ordo conſtructionis in hoc verſu ita ſe habet: Sit ſignum in manu tua, & memoriale inter oculos tuos, quod forti manu eduxerit te Dominus ex Ægypto, ut verſetur lex Domini in ore tuo.* Atque hæc quidem de partibus ſubjecti a prædicato interruptis; ſupereſt alia in conſtructione mixtura, qua voces, non habito præciſe reſpectu ad ſubjectum & prædicatum, confuſe ſibi invicem junctæ ſunt, in naturalem ordinem ab interprete digerendæ. Vnde Ebræis nata eſt ſequens regula:

e Gemariſtarum regulis VI.

סרס המקרא ודרשהו *Inverte Scripturam & deinde expone eandem.*

e. g. *Gen. II, 19.* כל אשר יקרא לו האדם נפש חיה הוא שמו

שמו quæ verba transponenda docet *Raschi*: סרסהו ופרשהו כל נפש חיה אשר יקרא לו האדם שם הוא שמו לעולם *inverte istum textum, & tum explica: Cuicunque animali nomen imposuerit Adamus, ei nomen istud constanter permanebit.* Sic *Ps. CXIX, 26.* עת לעשות ליהוה הפרו תורתך ab AbenEsra ita convertitur: דרשעים הפרו תורתך אפילו עת שהיה להם לעשות לה׳ *impii irritam faciunt legem tuam, etiamsi ipsis sit tempus colendi Deum.* Similiter *Es. XXVI, 11.* אף אש צריך תאכלם in *Michlal Jophi* exponitur אף צריך תאכלם אש *& quantum ad hostes tuos attinet, ignis consumet eos.* Iterum *Es. XLV, 24.* אך בה׳ לי אמר צדקות ועוז *Raschi* existimat שהפסוק מסורס וכן הוא אך לי בה׳ אמר צדקות ועוז *versum hunc esse inversum, & sic exponendum: Veruntamen mihi in Domino, dicet, justitia & fortitudo est.* Nec aliter *Ezech. XXXIX, 11.* מקום שם קבר *R. Salomo ben Melech* explicat כמו הפוך מקום קבר שם *per inversionem: locum sepulchri ibi &c.* Addo unicum *Hos. IIX, 2.* לי יזעקו אלהי ידענוך ישראל idem ex *Kimchii Michlol* adjicit: הפוך כמו לי יזעקו ישראל אלהי ידענוך *invertendus est textus hoc modo: Ad me clamabit Israël: Mi Deus, cognoscimus te.* Est & alia transpositio, qua partes certa serie inter se cohærentes, nonnunquam immutato referuntur ordine, ut Ebræi hac regula indicant:

ex Eliesers regulis XI.

מסדור שנחלק *Ab ordine diviso.*

Sic *2. Chron. XXX, 18.* trajecto ordine recensentur tribus *Ephraim,*

Ephraim, Manaſſe Iſaſchar & Sebulon, de jure ita collocandæ: *Iſaſchar, Sebulon, Ephraim & Manaſſe.* Videtur hæc regula uſum præſtare in computandis Decalogi præceptis, ut non ideo duo poſtrema præcepta pro unico habeamus, quia in ipſa Scriptura ordo eorum invertitur, & præceptum de non concupiſcenda domo proximi, quod in *Exodo* priori loco collocatum erat, in *Deuteronomio* ponitur loco poſteriori. Etenim ipſi Judæi hac regula obſervandum præceperunt, hunc Scripturæ morem eſſe, ut diverſas partes alio atque alio loco diverſimode inter ſe ordinet. Quod pariter in novi fœderis ſcriptis uſu venit. Tranſponit præcepta Decalogi Chriſtus *Matth. XIX, 18, 19. Luc. XVIII, 20.* eadem transponit Apoſtolus *Rom.* XIII, 9. Sed de computatione præceptorum paſſim celeberrimi Theologi pariter & Philologi agunt, nos ſaltem quæ hæc regula dici poſtulabat, non prætermittenda eſſe duximus.

Reſtant antecedentia & conſequentia ratione *contextus* talia, quorum collatio recte inſtituta mirificam ſæpe textibus lucem affert. Conferuntur autem tum textus continui & conjuncti, tum ſeparati & disjuncti. De textibus continuis in genere agit ſequens regula:

e Gemariſtarum regulis XI.

הפסיק העניו *Rem diſtingvere.*

Quâ diligentiam adhibendam eſſe volunt in dijudicando themate textus, anne unum plurave themata in unico contineantur verſu, ſi plura, probe a ſeſe ſegreganda & quaſi diſcindenda eſſe præcipiunt; quemadmodum alias eorum dictio ſonat: סכינא חדופה מפסקינהו לקראי *culter acutus ſecat Scripturam*, metaphora, ut arbitror, a ritu

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [120] - 112

a ritu ſacerdotum deſumta, e quorum præcipuis muneribus hoc quoque erat, ut victimas in partes ſecarent. Hoc præcepto uſi veteres Rabbini eo interdum abierunt, ut unicum verſiculum in tres diviſerint, docente ex Gemara *Buxtorffio.* (c) Exempla hujus regulæ hactenus invenire non contigit, veremur tamen, ne quemadmodum culter Flacianus, ut notum eſt, libros, ſic Rabbinorum culter ſenſum Scripturæ mutilet ac deturpet. Hoc præterea non ſupervacaneum fuerit annotaſſe, ad hanc loquendi formulam alludere Apoſtoli dictionem ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *2. Tim.* II, *15.* qua ſuum Timotheum admonet, ut *recte tractet verbum veritatis*, & circa illud ſedulo occupetur. Dicebantur enim, quod *Fullerus* (d) tradit, ii qui verbo Dei ſcripto operam dabant, הפוסקים בתורה Quod miror in dubium vocari a Celeb. *Hottingero*, (e) adducta contraria ſignificatione verbi פסק quam in eo, quod vulgo fertur, Rabbinorum aſſerto obtinet: כל הפוסק מדברי תורה ועוסק בדברי שיחות מאכילין לו גחלי רתמים *quicunque ceſſat a verbis legis, & occupat ſe in verbis loquacitatis, cibant eum prunæ juniperorum.* Minus autem caute obſervavit, quod in iſthoc Ebræorum dicto פסק conſtruatur cum מ, ſi vero alteram ſignificationem obtineat, tum vel abſolute regere Nomen ſuum in Accuſativo, vel mediante ב, ut videre eſt in ipſa regula. Subnectam alias tres regulas de contextu agentes, quibus textus alicujus materiam ſubſtratam, ſcopum, hanc illamve circumſtantiam, aut in univerſum occaſionem dicendi ex antecedentibus & conſequentibus indagandam eſſe præcipiunt. Sunt autem ſequentes:

(c) *Lex. Talm. p.* 1775. (d) *Miſcellan. Sacr. lib. III. cap.* 16. (e) *Theſaur. philol. p.* 73.

ex Iſmaëlis regulis XII.

דבר הלמד מעניינו ודבר הלמד מסופו

Res quæ diſcitur e materia ſubſtrata, & res quæ diſcitur e fine ſuo.

e Gemariſtarum regulis VII.

מקרא נדרש לפניו ולאחריו *Scriptura ex antecedentibus & conſequentibus exponitur.*

ex eorundem regulis XII.

אוירי במקראות *occaſio in Scripturis.*

Quas nunc exemplis illuſtrabimus: Ad primam regulam pertinebit illud, quod *Exod.* XX, *13.* lege divina prohibitum eſt furtum facere. Controvertunt autem Judæi, de quonam furto ſermo ſit, utrum de eo, quod capitis ſupplicio punitur; an vero de eo, quod pecunia mulctatur? tandemque concludunt, cum in contextu agatur de criminibus capitalibus, etiam de furto capitali Moſen intelligendum eſſe, quale eſt furtum hominis, quod plagii nomine nuncupamus; quisquis enim opes furto ſurripuerat, non mulctabatur vita, ſed cumulate rem ſurreptam reſtituere tenebatur. In hunc ſenſum legem citatam explicat *Raſchi*, inquiens: דבר למד מעניינו מה

לא תרצח לא תנאף מדבר בדבר שחייבין עליהם

מיתת בית דין אף לא תגנוב דבר שחייב עליו מיתת

בית דין *ſenſus diſcitur e materia ſubſtrata, cum præcepta de fugiendo homicidio & adulterio agant de rebus, ob quas aliquis reus ſit mortis a ſynedrio irrogandæ, ideo*

&

& præceptum de fugiendo furto agit de re, ob quam quis a Synedrio morte puniri debeat. Verum inique generale furti interdictum ad plagium reſtringitur, nec adducta ratione quicquam evinci poteſt; quandoquidem ſupremus legislator in promulgando Decalogo non attendit ad genus pœnæ, quod huic illive interdicto conſtituere veller, ſed ad intrinſecam prohibitorum ſcelerum turpitudinem, eaque prohibuit, quæ naturæ rationali qua tali diſconveniunt. Furtum autem omne, non plagium ſolummodo, natura turpe eſſe, neminem latet, qui in ſcholis Moralibus vel leviter verſatus eſt. Similis fere regula eſt, quæ in *Gemara Sanhedrin* (*f*) R. Johanni accepta fertur, & ita habet: כל מקום שפקרו המינים תשובתן בצדן *Vbicunque* (in explicando textu ſacro) *erronee docent hæretici, reſponſio eorum eſt in latere ipſorum.* Qua regula inprimis utuntur in defendendis textibus iſtis, quibus pluralitatem Divinarum perſonarum inſinuari Chriſtiani affirmant, ipſi negant. Ut patet ex iis, quæ citato loco ſeqvuntur: נעשה אדם בצלמנו ואומר ויברא אלהים את האדם בצלמו הכה נרדה ונבלה שם שפתם ויחד יי לראות את העיר ואת המגדל כי שם נגלו אליו האלהים ואומר העונה אותי ביום צרתי כי מי גוי גדול אשר לו אלהים קרובים אליו כיי אלהינו בכל קראינו אליו ומי כעמך כישראל גוי אחד בארץ אשר הלכו לו אלהים לפרות לו לעם ער די כרסון רמיו ועתיק יומין יתב; *Quando exſtat: Faciamus hominem in imagine noſtra* (*Geneſ. I, 26.*) *ſubjungitur: Et creavit Deus hominem in imagine ſua. Age, deſcendamus & confundamus ibi ſermonem eorum* (*Geneſ. XI, 7.*) *paulo ante dictum erat: Et deſcendit Dominus*

(*f*) *Vid. Coch. Sanhedrin. p. 214.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [123] - 115

nus ad videndam urbem iſtam & turrim iſtam. Nam ibi apparuerunt Dii (Geneſ. XXXV, 7.) dixerat antea v. 3. Qui exaudit me in die anguſtiæ meæ. Nam quæ exiſtit gens magna, cui Dii ſint propinqui? (Deuter. IV, 7.) ſtatim ſequitur: Sicuti Dominus Deus noſter, in omnibus quibus invocaverimus eum. Et quæ ſimilis populo tuo Israëli natio unica in terra, propter quam iverunt Dii; proxime annectitur: ut redimeret ſibi populum. (2. Sam. VII, 23.) Vsque tum ſolia poſita ſunt. (Dan. VII, 9.) ſubjungitur: Et antiquus dierum ſedit. Verum quantumvis Judæi in evolutione contextus horum locorum admodum triumphent, non tamen illationem Chriſtianorum adeo facile eludunt. Niſi modo cœcutire mallent, quam in dogmate de SS. Trinitate erudiri, haud difficulter aſſequerentur, in hujuſcemodi textibus non modo perſonarum Divinarum pluralitatem, ſed earundem eſſentiæ numericam unitatem inſinuari.

Pariter & media regula talis eſt, quæ recte adhibita in interpretatione Scripturæ maximum uſum habet; ſed tamen Judæi ex ea veluti ex pharetra ſæpenumero jacula depromunt, in Chriſtianos detorquenda. Sic in explicando loco *Deut. XVIII, 15. Abendana* contextum urget, probaturus, ibidem non intelligi debere Meſſiam, ſed alium quemcunque Prophetam poſt Moſen venturum. Ita enim ſcribit: וה הפסוק רבק אל הקודמים והמאוחרים וגו׳ *hic verſus cum antecedentibus & conſequentibus cohæret* &c. nempe, cum Deus antecedentibus verbis vetuerit, ne quis per præſtigiatores & divinatores futura cognoſcere ſtudeat, & ſubſequentibus Pſeudoprophetæ pœnam conſtituat; inde manifeſtum eſſe cenſet recutitus, verba intermedia non tam de uno

Pro-

Propheta agere, post multa secula demum venturo, quam de multis, ad quos, quoties usus ferat, recurrere, Deique voluntatem percontari populus debeat. Præterquam autem, quod ex Novo Testamento *Act. III, 22, 26. cap. VII, 37.* edocti sumus, eum locum de Christo accipiendum esse; ipse etiam contextus Judæis non favet: ceu præclare ostendit *B. Frischmuth*, celeberrimus dum viveret hujus Academiæ Philologus, in peculiari ad dictum hoc conscripta dissertatione, cui titulus: *Propheta Mosi par*, quo nunc Lectorem remittimus. Porro de hac regula id notamus, quod controversiam pariat in Talmude circa *Deut. XI, 21. ut multiplicentur dies vestri* &c. sintne verba hæc referenda ad versum proxime antecedentem, ut iis, qui præcepta Divina januarum postibus inscribant, longævitatem promitti arbitremur; an vero ad *versum 20.* ut eos, qui in lege Dei liberos sedulo instruunt, vita diuturna donandos esse statuamus. Futilis autem est ista controversia, inde orta, quod Ebræi sæpe nimis stricte insistunt על דרך פשוטו sensui literali; quare fit, ut de postium inscriptione nescio quid comminiscantur. (g) At vero omnis ista ordinatio de lege Dei manibus frontique alliganda, aut postibus affigenda non debet proprie assumi, sed metaleptice. Præ-

 cipitur

(g) *Solent effingere pyxidem, cui intrudunt membranam continentem quosdam versus* V. T. *sc. ex* Deut. *VI. vers.* 4, 5, 6, 7, 8, 9. *& cap. XI, a v.* 13. *usque ad* 20. *Aversæ ejus parti inscribunt nomen Dei* שדי, *quod per foramen in medio pyxidis factum conspici potest. Hanc pyxidem dextero postι januarum affigunt, & quoties homo pius vel domo sua egreditur vel ingreditur, manu sua* Mesusam *(ita enim appellant pyxidem) tangit & dicit: Dominus custodiat egressum & ingressum meum a nunc & usque in seculum. Vid. Buxtorfii* Synagog. Judaic. *cap. XXXI.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [125] - 117

cipitur enim Judæis, ut omni tempore & loco memores sint mandatorum Divinorum, quemadmodum aliquis memor est signi brachio vel manui impositi, aut sub ingressum egressumque obvii. Sive igitur *versum 21.* ex immediate antecedente, sive ex remotiori velint interpretari, utrobique legis discendæ meditandæque assiduitas præcipitur, addita vitæ longævæ promissione.

Tertiæ regulæ exemplum ex *Genes.* XXII petere licet, ubi Hebræi solicite occasionem istius gravissimæ tentationis venantur, idque eo magis, quod in ipso textu fundamentum se deprehendisse autumant, quandoquidem scriptum legitur: *Factum autem est*: אחר הדברים quod ipsi vertunt: *post verba hæc.* Quæstio igitur ventilatur inter eos, post quænam verba factum sit, ut Deus Abrahamum tentandum statuerit? Duplicem conjecturam videas in *Sanhedrin* his verbis allatam; (h)

אמר ר׳ יוחנן משום ר׳ יוסי בן זמרא אחר דברים של שטן דכתיב ויגדל הילד ויגמל אמר שטן לפני הקדוש ברוך הוא רשׁבע זקן זה חננתו למאה שנה פרי בטן מכל סעודה שעשה לא היה לו תיר אחד או גוזל אחר להקריב לפניך אמר ליה כלום עשה אלא בשביל בנו אם אני אומר לו זבח את בנך לפני מיד זובחו מיד והאלהים נסה את אברהם ויאמר קח נא את בנך

R. Johannes nomine R. Josis filii Simræ inquit: Post verba habita a Satana. Circa id enim quod scribitur: Et adolevit puer & ablactatus est, Diabolus coram Deo sic egit: Domine universi, istine vetulo, cui centum annos nato fructum ventris largitus es, ex toto convivio non

(h) *Coch. Sanhedrin p. 302. sq.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [126] - 118

non fuerit offerendus turtur aut pullus columbinus coram te? Cui Deus: Num ipsum quicquam feciſſe putas, niſi filii ſui cauſa? Ajo tibi, ſi jubeam ipsum filium ſuum mihi offerre victimam, ſine mora faciet. Atque tum tentavit Deus Abrahamum, inquiens: Age, ſume filium tuum &c. Et paucis interjectis affertur altera conjectura:

ר׳ לוי אימר אחר דבריו של ישמעאל ליצחק אמר ליה
ישמעאל אני גדול ממך במצות שאתה מלת בן שמונה
ימים ואני בן שלש עשרה שנה אמר לו ובאבר אחר
אתה מנרה בי אם אמר לי הקדוש ברוך הוא זבח עצמך
לפני אני זובח מיד והאלהים נסה את אברהם׃

R. Levi inquit: poſt verba Ismaëlis ad Iſaacum. Dixerat enim illi Ismaël: Ego te præcedo in obſervatione præceptorum. Tu ſiquidem octiduo a nativitate circumciſus es. Ego autem natus tredecim annos præputium depoſui. Cui ille, Tune, inquit, unicum ob membrum mecum contendes? Si mihi injungat Deus, ut me coram ipſo victimam cædi patiar, facerem. E veſtigio tentavit Deus Abrahamum. Non quidem prorſus ineptæ ſunt hæ conjecturæ, cum admodum probabilis ſit ratio, varias diſceptationes jocoſas ſimul & ſerias inter hos fratres intercesſiſſe, ceu oſtendit *Jo. Marckius in Exercitationibus Textualibus Exercit.* III. quæ tota agit *de ſcelere Ismaëlis in Iſaacum.* Et quæ priori loco tradebatur Rabbinorum ſententia tentationi Abrahami fere eandem aſſignat occaſionem, atque tentationis Jobi fuit in S. codice tradita; Sed tamen ex verbis textus neutram erui poſſe certi ſumus. Vox enim דברים non præciſe *ſermonem* denotat, ſed etiam *rem geſtam*, & tota phraſis אחר הדברים האלה non præciſe ſignificat *poſt ſermonem illum*, ſed

eſt

eſt connexio in hiſtoriis non inuſitata, tantundem valens, ac *interea temporis*, *rebus his geſtis* &c. Sic quoque occaſionem cædis fraternæ, quæ omnium cædium infauſtiſſima, quia prima, erat, inveſtigare iidem allaborant, a ſacro textu, ut exiſtimant, inſtigati, & cum *Geneſ. IV, 8.* ſcribitur: *Ex dixit Cain ad Abelem fratrem ſuum*, materiam ſermonis, a quo ad verbera demum perventum ſit, conjectari ſtudent. Alii autem de providentia Divina & remuneratione piorum colloquium fuiſſe exiſtimant; alii de hæreditate poſt patris obitum adeunda, & quis tum rerum ſacrarum curam gerere debeat; alii increpationem, quam paulo ante Cain ex Deo perceperat, fratri viciſſim narraſſe autumant; denique alii litem inde ortam eſſe tradunt, quod Cain dixerit fratri: Omnia prata, arva, rura, tota inquam regio iſthæc ad me ſpectat, ego enim rus colo; tibi ne angulus quidem in hoc univerſo debetur, quo pecudes paſcas. Diverſimode igitur occaſionem parricidii indicant, nobis quid videatur, ſi dicendum eſt, iſtis verbis non putamus ad occaſionem cædis reſpici, ſed vafritiem Caini exprimi, qui amica verba dederit fratri, odiumque diſſimulaverit, donec opportuno tempore & loco oblato improviſum trucidaverit. Eſt & inter recenſitas Gemariſtarum regulas octava, quam huc ſpectare conjicimus, ita enim habet דורשין תחלות *in ſubtili indagine principia connumerant*: cujus uſum cum nuſpiam in exemplis repererim, atque ne ſenſum quidem ipſum ſatis aſſequi potuerim, hic ſaltim commemorandam duxi; ſi quid poſthac occurret, quod ad ejus explanationem faciat, Deo & die volente, alio tempore communicabitur.

In collatione textuum plurium diſcrimen fecimus textuum eorum, qui continuo ordine cohærent, atque illo-

illorum, qui ſive longiori ſive breviori intervallo ab invicem disjuncti ſunt. De priori claſſe ſatis actum eſt, pauca adhuc ſubjungenda de poſteriori. Eſt autem paralleliſmus vel *verbalis* vel *realis*. Verbalis datur in iis textibus, qui iisdem vocibus utuntur, materiam autem diverſam tractant. Realis in iis, qui rem eandem ſive iisdem ſive diverſis vocibus proponunt. In verbali parallelismo obſervando operam quidem inprimis navarunt *Maſorethæ*, & eorum nimius æſtimator *Baal Hatturim*, veruntamen & aliis Rabbinis hunc evolvere in delitiis fuit, quod non modo ex eorum commentariis, ſed ex ſubſequente etiam regula evidenter cognoſcimus:

ex Ismaëlis regulis II. & Elieſeris regulis VII.

גזרה שוה *a commate æquali.*

Comma ſive inciſum æquale eſt, quod cum alio convenit, quoad unam pluresve dictiones. Argumenta autem inde petita potiſſimum a verborum convenientia ad rerum ipſarum, quæ in diverſis verſibus continentur, convenientiam concludunt. Quanqnam enim ab Ebræis aliquibus ad ea loca, quæ rem eandem tractant, regulam reſtringi meminerim, uſum tamen in exemplis contrarium reperio, utpote quæ potiſſimum verbalem parallelismum obſervant. Producam id genus aliquammulta: Pro locis parallelis a Judæis habentur *Exod.* XXII, *verſus 7.* & *verſus 10.* quia in utroque verſu eadem deprehenditur loquendi formula, *niſi manum extendit ad rem proximi ſui.* Ex iſta verborum convenientia arguunt rei ipſius ſimilitudinem, ſtatuentes, quemadmodum

aſinorum, boum, ovium, jumentorumque aliorum cuſtos, jacturâ concrediti jumenti factâ, juramento tenetur aſſeverare, nulla ſua culpa iſtam jacturam accidiſſe, dictante ipſa lege Ebræa diſertis verbis: *Juramentum Domini ſit inter utrumque, quod non extenderit manum ſuam ad rem proximi;* ita & depoſitarium depoſito amiſſo, eadem jurisjurandi religione teneri, quod depoſitum non furtim occultaverit, & quanquam lex expreſſis verbis nuſpiam iſti juramentum deferat, ex hac tamen alterius loci collatione ajunt ita ſupplendum eſſe hunc verſum 7. Juramentum Domini ſit inter utrumqve quod non extenderit manum ſuam ad rem proximi. Atqve huc tendit *Raſchi* ad verba verſus 7. ita commentans:

נאמר כאן שליחות יד ונאמר למטה שליחות יד שבועת ה' תהיה בין שניהם אם לא שלח ידו מה להלן שבועה אף כאן שבועה *hic ſit mentio extenſionis manus, itidemque paulo inferius ſit mentio extenſionis manus v. 10. Juramentum* Domini *ſit inter utrumque, quod non extenderit manum ſuam &c. id quod hoc loco juramento aſſeverandum præcipitur, id etiam in altero loco juramento eſt aſſeverandum.* Per eandem regulam probant, Samuelem fuiſſe Naſiræum, quoniam de eo dicitur *1. Sam. I, 11. Novacula non aſcendet ſuper caput ejus*, quæ formula de Samſone quoque uſurpatur *Jud.* XIII, 5. Samſon autem absque dubio Naſiræus fuit, igitur & Samuel. Juvabit ipſam Miſchnam de Naſiræatu Samuelis referre: (*b*)

נזיר היה שמואל כדברי רבי נחוראי שנאמר ומורה לא יעלה על ראשו נאמר בשמשון ומורה ונאמר בשמואל ומורה מה מורה האמורה בשמשון נזיר אף מורה האמורה בשמואל

(i) *Maſſech. Naſir cap. IX. §. 5*

בשמואל נזיר *Naſiræus fuit Samuel ex mente Doctoris Neborai, quoniam dicitur: Et novacula non aſcendet ſuper caput ejus. Dicitur autem de Samſone novacula, itemque dicitur de Samuele novacula. Quid ſignificat novacula dicta de Samſone? id ſcilicet, eum Naſiræum fuiſſe; ita & novacula dicta de Samuele deſignat, quod Naſiræus ipſe fuerit.* (k) Peſſime per ſimilem argumentationem infert *AbenEsra*, *Deut. XVIII, 15.* intelligi debere Joſuam, cum inquit: זה יהושע והער שאמר אליו תשמעון וכתוב וישמעו אליו בני ישראל. *iſte eſt Josua, quod teſtantur verba: illi obtemperabitis. Etenim de Joſua ſcriptum eſt (Deut. XXXIV, 9.) & obtemperarunt illi filii Israël.* Sic quando *Malach. I, 3.* legitur: *Jacob dilexi, & Eſau odio habui*, Rabbini cauſam odii Divini erga Eſavum per hanc ipſam regulam eliciunt ex verbis *Geneſ.* XXV, 29. ויבא עשו מן השדה והוא עיף *& venit Eſavus ex agro, & erat feſſus*, quibus verbis autor libri *Medraſch Rabba* inſcripti vult indicari, tria peccata ab Eſavo eodem die commiſſa eſſe. Primum ait, fuiſſe furtum, reperiri enim verbum בוא *venire* cum furibus con-

(k) *Atque ideo uſu receptum fuit, ut, qui Naſiræatus votum faciebat, diceret: Ecce ero ſicut Samuel, & ſicut filius Elcanæ, & ſicut ille qui diſſecuit Agagum in Gilgal; qui hæc dicebat, recte Naſiræatum voviſſe cenſebatur, annotante Bartenorienſi ad Miſchnam citatam. Pariter ac iſte quoque mos ſolennis erat, ut, qui Naſiræatus voto ſe obſtringebat, diceret: Ecce ero ſicut Simſon, ſicut filius Manoah, ſicut maritus Delilæ, ſicut is qui evulſit portas Gaſæ, ſicut is cui effoderunt Philiſtæi oculos; Ecce talis fiebat Naſiræus, ut eſt in Maſſ. Naſir cap. I. §. 2. Exegerunt vero ejusmodi circumlocutionem perſonarum, ne nudo nomine prolato, alium eſſe quem imitaturus ſit, quiſpiam putaret, quod R. Jom Tobh ad Misn. cit. monet.*

conjunctum *Obad. v. 5. si fures veniant ad te;* jam cum idem verbum in allegato *Geneseos* loco Esavo jungatur, inde consequi putat, quod furtum ab eo commissum sit. Alterum peccatum esse dicit, quod virginem jam desponsatam vi stupraverit, id quod eluceſcat ex voce שרה *ager.* Etenim *Deut.* XXII, 27. usurpari idem vocabulum in isto casu, quo quis sponsæ in agro repertæ stuprum inferat; quod cum nunc Esavo junctum deprehendatur, pronum esse concludere, quod is ipse violento stupro se contaminaverit. Denique cum ultima dictio עיף *fessus* alibi occisis juncta inveniatur *Jerem. IV, 31.* ipsum Esavum homicidii arguere non veretur, suæque dementiæ insuper patrocinium quærit ex initialibus literis trium citatorum de Esavo vocabulorum ויבא שרה עיף quippe quæ combinatæ conficiunt nomen עשו *Esavi.* vid. *Rittangelius in notis ad libr. Jezirah p. 32. sq.* Ex his satis est evidens, quam inconcinne utplurimum verborum convenientiam hinc inde arreptam in mysterium pertrahant Judæi. Verbalis parallelismi evolutio admodum quidem commendanda, & solerter instituenda est, sed eo solum fine, ut vel phraseos vel vocis alicujus mens aut significatio, in uno loco obscurior ex altero illustretur. Neque tamen hoc interpretandi medium ob frequentem vocum πολυσημίαν satis firmum est, ut eo solo unquam niti possimus; quin ipsa vocum συνάφεια in consilium est adhibenda, atque an ea hanc significationem admittat, probe dijudicandum venit. Quo magis vapulat Ebræorum argumentandi ratio, qui solam verbi unius alteriusque convenientiam tanti faciunt, ut non tam vim vocis aut phraseos inde exsculpant, quam ipsarum rerum, quæ in diversis textibus tractantur, nescio quam mysticam convenientiam præter intentionem autoris

autoris & absque bonæ consequentiæ regulis tradant. Qualis enim quæso est ista argumentatio: *Josuæ obtemperabunt filii Israël, Prophetæ post Mosen excitando, de quo Deut.* XVIII, 15. *obtemperabunt filii Israël, E. Prophetæ post Mosen excitandus de quo Deut.* XVIII, 15. *est Josua.* Sane peccat hoc argumentum in forma, & affirmative concludit in secunda figura, quod indicio est, ipsam consequentiam non habere se legitime, quoniam in artis formam compingi recusat. Nunc placeat illud Poëtarum Principis: *crimine ab uno Disce omnes*, certo enim certius est, in hunc scopulum plurimas hujus generis argumentationes impingere, paucas immunes evadere. Si quando una alterave legitime concludit, non est ei, quam modo resolvebamus argumentationi per omnia similis. Diffiteri enim non possumus, recte argui Samuelem fuisse Nasiræum, ex eo quia Simson fuit Nasiræus. Sed hanc argumentationem exemplum nominant Logici, dudumque inter legitimos concludendi modos receperunt. Probe igitur in dijudicandis hujus classis argumentationibus attendendum est, *argentum quid scoriis, quid distent æra lupinis.*

Sequitur ut breviter recensеamus, quid de parallelismo *reali* Ebræi statuerint. Est autem parallelismus realis vel *mutuus* vel *aliò directus.* Mutuum appello, qvando idem locus cum seipso alibi in S. scriptura repetito confertur: atqve ex hujuscemodi parallelismo nihil eruunt Ebræi, ut diserte secunda e Gemaristarum regulis docet: שני כתובים הבאים כאחד אין מלמדין *duo versus Biblici, qui habent se instar unius, nihil singulare docent.* Secus ac melioris notæ interpretes inter Christianos omnes ejusmodi locos conjungendos esse

præcipiunt, cum sæpe variationes quædam tum ἐξηγήσεως tum brevitatis causa in talibus repetitis occurrere deprehendantur. Alio directus parallelismus est, cum duo aut plures loci scripturæ unum idemque thema tractant: Atqve hoc modo censentur paralleli non modo ii textus, qui literaliter expositi idem dogma tradunt; sed etiam hi, quorum alter prophetiam, alter ejus impletionem exhibet, aut etiam alii textus, qvi mutuum erga se respectum habent. Huc quodammodo referri potest seqvens regula:

ex Eliesers regulis XXVII.

ממעל *e superiori.*

Regula hæc id vult, cum sæpe textus aliqvis relationem habeat ad alium qvempiam textum, in explicatione alterutrius utrumque esse conjungendum, quod certe unum relatorum alteri lucem fœneret. Exempli loco sit illud *2. Reg. X, 30. Et dixit Jehova ad Jehu; Quoniam promte executus es id, quod rectum erat in oculis meis, & secundum omnia, quæ fuerunt in corde meo egisti cum domo Achabi, abnepotes tui sedebunt in throno Israëlis.* Iste versus explicatur in *Halichoth Olam* tanquam correspondens antecedentibus, in quibus dictum fuerat, quod Jehu quatuor generationes de domo Achabi exciderit. Illarum respectu hoc loco vicissim quatuor generationes ex domo Jehu præmiis amplissimis afficiendas, sceptroque Israëlitico donandas esse Deus promisit. Fallor, an huc referenda sunt quæ *Raschi* commentatur ad *Num. II, 2.* in cujus explicatione assumit textum ex *Genes. L, 12.* atque ea collatione non inelegantem observatiunculam circa sepulturam Jacobi exhibet. Docet

cet enim, eundem ordinem, juxta quem filii Israël in caſtrametatione ordinabantur, jam tum cum funus patris ſui in Ægyptum deportarent, ab ipſis fuiſſe obſervatum. Verba ejus ad textum *Numerorum*, *Quisque ad vexillum ſuum in ſignis domus patrum ſuorum caſtra metabatur*, ita habent: באות שמסר להם יעקוב אביהם כשנשאוהו ממצרים שנאמר ויעשו בניו לו כן כאשר צום יהורה וישכר וזבולן ישאוהו מן המזרח ורעובן ושמעון וגד מן הדרום כולו כראיתא בתנחומא בפרשה זו:

In ſigno quod tradidit ipſis Jacob pater ipſorum, quemadmodum ipſum portare deberent ex Ægypto, quia dicitur: Et fecerunt filii ejus ipſi, ſicut præceperat iis. Jehuda, Iſaſchar & Sebulon eum portare debebant a latere orientali: Ruben vero & Simeon & Gad a meridionali latere, & ſic porro, prout exſtat in Tanchuma in hac ſectione. Latius hæc geſtatio funeris refertur ad verba *Geneſeos: Et portabant eum filii ipſius, cap. L, 12.* ubi *Raſchi* ita commentatur: ולא בני בניו שכך צום אל ישאו מטתי לא איש מצרי ולא אחד מבניכם שהם מבנות כנען אלא אתם וקבע להם מקום ג׳ למזרח וכן לר׳ רוחות וכסדרן למסע מחנה של דגליהם נקבעו כאן. לו לא ישא שהוא עתיד לשאת את הארון ויוסף לא ישא שהוא מלך. מנשה ואפרים יהיו תחתיהם וזהו איש על דגלו באותות באות שמסר להם אביהם לישא מטתו: *Non autem portabant ipſum nepotes ipſius. Ita enim juſſerat: ne portent loculum meum neque quisquam ex Ægyptiis, neque quisquam ex filiis veſtris, qui nati ſunt e filiabus Cananæis, ſed ipſi portate funus meum.*

um. Tunc determinavit illis locum: tres sint versus orientale latus, pariterque versus singulas quatuor plagas. Quemadmodum ordo ipsorum fuit in profectione castrorum juxta vexilla, ita coordinati fuerunt hoc loco. Levi non debebat portare, quia ipse portaturus erat arcam fœderis. Sic & Joseph non debebat portare, quia erat Rex. Manasse & Ephraim substituebantur loco illorum. Atque huc respicitur, cum in Numeris exstat: Quisque juxta vexillum suum in signis &c. scilicet in signo; quod tradidit illis pater ipsorum in ferendo feretro suo. (*l*) Satis quidem curiosa est ista observatio, modo

(l) *Referunt Rabbini ad locum Numerorum citatum varias de vexillis Israëlitarum opiniones & qvod scriptum est* באותות (*in signis*) *alii de imaginibus in vexillo quolibet intextis, alii de colore singulorum vexillorum explicant. Sunt certe quæ de his leguntur, tantæ jucunditatis, ut ab earum mentione non plane mihi temperare valeam. Commemorabo igitur aliqua, eaque Latinis tantum verbis enarrabo. Primum Raschi inquit, unicuique vexillo Israëlitarum erat suum signum, scilicet mappa colorata ab eo suspensa. Color autem unius non erat sicut color alterius; color uniuscujusqve erat sicut color lapidis in pectorali infixi, atque ideo potuit qvisqve cognoscere vexillum suum. Sensus est, vexillum cujusque tribus eo colore imbutum fuisse, quo resplenduit lapis in pectorali summi sacerdotis ei tribui respondens. Igitur vexillum Rubenitarum sardium sangvineo colore referebat; Jehudæ vexillum coccineo colore rubinum æmulabatur; Ephraim succini colore in lyncurio & vexillo resplendescebat, denique vexillum tribus Dan cœruleo viridique permixto colore veluti turcois nitebat. Quales quidem conjecturæ dictu faciles, probatu oppido difficiles sunt. Alio divertit R. Abendana circa Num. II, 2. imagines singulorum vexillorum enumerans. Imagines, inquit, fuerunt in unoqvoqve vexillo. Dicunt Rabbini nostri felicis memoriæ*

do æque ſolida foret. Præterquam autem quod vix ac ne vix quidem probare queant, filios Jacobi iſthoc ordine circa feretrum parentis collocatos fuiſſe, eſt & alia, quæ maxime eam opinionem vexat, difficultas. Durum enim videtur, אותות *ſigna* domus paternæ exponere per uni-

R cum

moriæ, quod in vexillo Rubenis fuerit forma hominis ad indigitanda Dudaim; in vexillo autem Judæ forma leonis, cui eum comparaverat Jacob; porro in vexillo Ephraim forma bovis ſecundum ſenſum dicti: (*Deut. XXXIII, 17.*) *Primogenitus bovis ejus decor ejus. Denique in vexillo Dan forma aquilæ, ut adeo iſta vexilla ſimilia fuerint viſioni Prophetæ Ezechielis. Hæc conjectura non plus roboris habet, ac iſta receptiſſima, potiorumque Patrum conſenſu firmata traditio, de iisdem quatuor imaginibus, hominis, leonis, bovis & aquilæ, quadrigæ Evangeliſtarum attribuendis. Alias de his vexillis ſententias vide in Godwini doctiſſimo ſcripto, cui titulus: Moſes & Aaron. Vnicam tamen, quæ ibi non enarratur, non poſſum qvin adjiciam opinionem, a Druſio in comment. ad Numeros ex Hiſcuni excerptam. Fuiſſe in iis literas ex nominibus Patriarcharum* יעקב, יצחק, אברם *Abram, Iſaac, Jacob*) *ita quidem, ut in primo vexillo fuerint primæ literæ horum nominum* איי, *in ſecundo autem* בצע, *in tertio* רחק, *in qvarto* מקב *quæ ſunt literæ ultimæ illorum nominum. Verum in conjectando ſatis argutos, in probando obtuſos ſe exhibent. Conſentanea eſt iſta vexillorum ratio Judæ Maccabæi vexillis, hic enim cognomen Maccabæi inde accepiſſe fertur, quod ex Exod. XV, 11. verba* מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Quis Deorum eſt tui ſimilis o Domine! abbreviate hoc modo* מַכַּבִי *vexillis inſcripta, loco militaris teſſeræ commilitonibus ſuis dederat, in quo ſigno cum vulgus ſtratiotarum victoriæ feliciter partæ vim ſuperſtitioſe collocaret, nec tamen myſticæ hujus ſcripturæ rationes intelligeret, inſeruit pronunciationis cauſa hisce conſonantibus vocales, & legit* MaCaBaI, *bellique principem conſtanter poſthac ita denominavit. Vid. Schickardi Bechinath Happeruſchim p. 67.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [137] - 129

cum אות ſ. ſchema, quod pater ipſis præfiguraſſet. Quare illorum potius accedimus partibus, qui per אותות minora iſta ſigna aut vexilla intelligunt, quibus forte ſingulæ familiæ utebantur: ut ſenſus ſit, adeo exactum ordinem in proficiſcendo adhibitum fuiſſe, ut non modo primaria vexilla, quorum quatuor fuiſſe Ebræis credimus, ſed ſub iis etiam ſpecialiora ſigna obſervanda fuerint. Si licet caſtra Israëlitarum cum militia Romana conferre, dicerem exercitum Israëlitarum diviſum fuiſſe in legiones, legiones in cohortes, cohortes in manipulos, ſingulosque locum qui ipſis obtigerat probe tenere, legioni, cohorti, manipulo ſuo ſeſe aggregare debuiſſe, ut univerſus exercitus ſemper permanſerit ordinatiſſimus. Quod ſi, ut confido, certum eſt, vanus fuit *Raſchi*, in explicando hoc loco ad ſuperiorem quendam confugiens.

IV. Locus Similium.

Quid ſimilia ſint, hic loci, ut ex aliis Logicæ ſcriptoribus jam cognitum, ſupponere poteramus. Ne tamen ignotum videamur navigare æquor, adjicimus brevem deſcriptionem, eſſe ſimilia, *quæ inter ſe per commune tertium conferuntur.* Sunt autem eorum variæ ſpecies, inter quas e re noſtra præprimis erunt: *Metaphora, parabola, apologus, ænigma, proverbium & ſimilitudo ſtricte dicta.* De Metaphora in communi nihil hic tradituri ſumus, quod circa eas, utut in Scriptura admodum ſint frequentes, nihil a Talmudicis obſervari meminerimus. Equidem novimus, Talmudiſtas impenſe delectari ſuis מרשים, *allegoricas expoſitiones* vulgo vocant, atque adeo jure quis a nobis exigere poſſet, ut Rabbinicarum allegoriarum rationem hoc loco expendamus,

cum

cum allegoria plerisque definiatur, quod sit continuata metaphora. At vero hic prætermitti eam partem, facile ii ignoscent, qui adverterint, quod מדרשים non præcise in allegoria, quam nos appellamus, sed in quacunque mystica expositione, sive per Cabbalam sive per aliam argutationem aut figmentum eruta, consistant. Vnicum supereſt, quod ad metaphoram referri & hoc loco exponi meretur: observatas etiam Ebræis esse eas locutiones, quibus res humanæ ad Deum transferuntur, isque irasci, tristari, pœnitentia duci &c. dicitur. Nostrates hoc genus dictionum vocant ἀνθρωποπάθειαν, illi autem sequenti regula annotarunt:

e Gemaristarum regulis XVII.

דברה תורה בלשון בני אדם *Loquitur scriptura phrasibus filiorum hominum.*

Cujus sensus est iste: attribui nonnunquam Deo res humanas, non quod revera ita se habeant, sed quod per ejusmodi locutiones a nostris rebus desumtas, quæ sit voluntas Dei, & quisnam ab ea effectus proficiscatur, optime intelligere possimus. Libeat audire ipsum *R. Salomo ben Melech* ad *Genes. VI, 6.* quo loco Deus tristari & pœnitentia duci dicitur, ita commentantem:

דברה תורה כלשון בני אדם כי על דרך האמת
לא אדם הוא להנחם כי אין בו שנוי חפץ יתברר
ויתעלה וכז ותעצב אל לבו גם כן דרך משל כי אין
לפניו על דרך האמת לא שמחה ולא עצבון ולא ישתנה
במדה למדת והפך ויתעצב ישמח ה׳ במעשיו והכל דרך
משל כי כמו שהאדם שמח על דבר שיושר בעיניו ויתעצב
על

על הרבר הרע בעיניו כן היה הספור על האל יתעלה
והוא עליו דרך העברה והשמחה והעצבון בארם בלב
לפיכך אמר דרך משל על האל יתברך ארם לבו

Loquitur Scriptura phraſibus filiorum hominum. Nam in rei veritate Deus non eſt homo, ut pœnitentia ducatur, quia in eo non eſt mutabilitas voluntatis benedictæ atque excelſæ. Ita cum dicitur: triſtatus eſt in corde ſuo; eſt & hoc per metaphoram dictum, apud ipſum enim revera neque lætitia eſt neque triſtitia, neque ipſe mutari poteſt a qualitate una ad alteram. Huic oppoſita phraſis eſt: (Pſ. CIV, 31.) Lætatur Deus operibus ſuis; iſta autem omnia metaphorice dicuntur. Quemadmodum enim homo lætatur de re, quæ bona videtur oculis ipſius, atque triſtatur de re, quæ diſplicet oculis ſuis, ita inſtituitur narratio de Deo altiſſimo, idque fit per translationem. Cumque lætitia & triſtitia ſit in corde, ideo dicitur metaphorice de Deo benedicto, triſtatus eſt in corde ſuo.

Tranſimus ad alteram ſimilium ſpeciem, quam parabolam fecimus, cum qua illico conjungimus apologum. Quamvis enim inter illa diſcrimen intercedat, quod parabola narret rem per circumſtantias fictas quidem, ſed quas ita evenire non repugnat; apologus ſeu fabula per circumſtantias in eo ſubjecto plane non dabiles, ſed quæ revera dabiles imitentur; Judæi tamen iſtam differentiam non penſi habent. Qvare & nobis parabola ac fabula hac vice perinde ſit, utraque nomine משל inſignitur, & ſub ea appellatione in Elieſeris regulis locum obtinet:

ex Elieſeris regulis XXVI.

ממשל *a parabola.*

Erit igitur parabola nobis hac vice narratio, in qua unius

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [140] - 132

us ad alterum est multiplicata assimilatio. Hanc in ipso Scripturæ textu occurrere, Rabbini proposita regula observarunt, & legere datur *Jud. IX, 8.* de arboribus regem sibi quærentibus. *2. Sam. XII, 1.* de divite qui pauperem unico agno spoliaverat. *2. Reg. XIV, 9.* de conjugio inter senticetum & cedrum inito: has similesque narrationes ipsi etiam Hebræi non ita revera evenisse, sed ad exponendam aliquam doctrinam fictas esse existimarunt. Quin & imitati hoc genus docendi frequenter parabolis utebantur, siquidem Gemaricis Doctoribus nihil familiarius est hâc formula: למה הדבר דומה *cuinam res est similis?* Præprimis autem parabolarum arte celebris inter Hebræos fuit R. Meir, de quo *Mass. Sotah cap. IX. §. 15.* referrur: משמרת רבי מאיר בטלו מושלי משלים *ex quo mortuus est R. Meir, cessarunt doctores parabolarum;* non quod post eum hi flosculi plane deperierint, sed quod nemo surrexerit, qui in isto eruditionis genere cum eo comparari potuerit. Ita enim oratorem hunc extollit *Bartenura ad Misn. cit.* אמרין בסנהדרין כי הוה

דריש רבי מאיר בפומקא חוה דריש תלתא שמעתא ותלתא

אגדתא ותלתא מתלי *Dicunt in Sanhedrin, quando concionabatur R. Meir publice, concionabatur quoad partem tertiam traditiones majorum, quoad partem tertiam mysticas expositiones, & quoad partem tertiam parabolas.* Cum igitur iste docendi mos penitus inolevisset apud Ebræam gentem, nemini mirum videri potest, quare Salvator noster adeo frequenter in parabolis loquutus fuerit, quarum non paucas Hebrææ genti vulgo usurpari solitas fuisse, erudite non tamen cum omnium consensu tradidit *Lightfootus in Horis Talmudicis.*

Obſcuram parabolam *ænigma* eſſe dixit *Franciſcus Junius in parallelis*, quare non alienum a noſtro inſtituto eſſe ducimus, ſi huc etiam viam dirigamus, non quidem ſinuoſos iſtos flexus penitus pererraturi, ſed limina ſaltem hujus labyrinthi ſalutaturi. Deſcriptionem ænigmatis Rabbinicam damus hanc: (*m*) חידה הוא דבר טתום שיבינו המבינים דבר אחר מתוך אותו דבר *ænigma eſt ſermo occultus, ſub quo res alia intelligitur.* Tale erat ænigma Simſonis *Jud. XIV, 14.* præter quod ſi ſtricte loqui velimus in Scriptura nullum occurrit. Memoratur quidem Regina Sabæ Salomonis ſapientiam exploraſſe ænigmatibus, quæ autem & qualia fuerint, non exprimitur. Memoratur etiam a Joſepho (*n*) Rex Salomo certaſſe cum Rege Tyrio Hiramo ænigmaticis quæſtionibus, propoſita ignorantiæ mulcta; neque tamen de his ſatis multa conſtant. Interim nullum mihi dubium relinquitur, quin ænigmata frequentis uſus fuerint apud Judæos, cum ab his ad alias gentes promanaſſe cernantur. Quem enim latent Pythagoræ ænigmata, ſymbolorum nomine vulgo appellata? Hunc Italicæ Philoſophiæ principem e Judæorum doctrina multa hauſiſſe perſpicuum eſt. Neque forte injuſte in notabili illo Jamblichi loco pro Mocho ſeu Moſcho, a quo præcepta ſua accepiſſe Pythagoras dicitur, legerimus Moſen, (*o*) *de vita Pythagoræ cap. III.* συμβαλὼν τοῖς τε Μώχῳ τῷ Φυσιολόγῳ προφήταις ἀπογόνοις καὶ τοῖς ἄλλοις ἢ Φοινικικοῖς ἱεροφάνταις. *Verſatus eſt cum Prophetis, qui Mocho Phyſiologo.*

(m) *R. Salomo ben* Melech *ad* Ezech. *XVII, 2.* (n) *Antiqv. Jud. VIII, 2.* (o) *vid.* Tribbechovius *de veritate creationis mundi cap. I. §. 5.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [142] - 134

ſiologo ſucceſſerant, atque etiam cum aliis item & Phœniciis ſacerdotibus. Dictis fidem facient ipſa ſymbola ſtudioſe lecta, adeo pleraque Ebræam originem ſapiunt.

Veniunt etiam nomine משל proverbia ſive adagia, qualia ut in unaquaque lingva, ſic in Hebræa etiam reperiuntur. *1. Sam. XXIV, 14.* dicitur משל הקדמני *proverbium vetuſtum: Ab improbis prodit impietas.* Vt taceam alia, tum in codice ſacro utriusque fœderis, tum in profanis Hebræorum ſcriptis paſſim occurrentia, quæ ut colligeret, operam ſtudiumque navavit *Jo. Druſius* digeſtis per *decem libros* varii generis *proverbiis Hebraicis*, item collectis *duodecim Adagiorum Ebraicorum centuriis cum dimidia.* De adagiis N. T. ſeorſim *Jo. Vorſtius* eruditum conſcripſit libellum: quæ talia ſunt, ut lectori harum rerum avido ſatisfacere poſſint. Nos ſaltim Judæorum in effingendis adagiis argutias uno alteroque exemplo exhibebimus: *Num. XX, 19.* partem itineris Israëlitarum, qvum profecti dicuntur e *Mattana verſus Nachaliel, & hinc verſus Bamoth* alio plane ſenſu proverbii loco adhibent, & vim vocum ſectati eo fine uſurpant, ut hunc, qui legis ſtudio vacat, ad Dei poſſeſſionem, & hinc ad excelſos honores pertingere doceant. Si enim interpretari hæc nomina velis, Mattana *legis donum*, Nachaliel *Dei poſſeſſionem* & Bamoth *excelſa* ſignificant. Hoc ſenſu refertur in *Pirke Aboth cap. VI. §. 2.* הלמד בתלמוד תורה חרי זה מתעלה שנאמר וממתנה נחליאל ומבמות *quicunque in lege diſcenda laborat, ecce hic exaltabitur. Sicut dicitur: E Mattana in Nachaliel, & e Nachaliel in Bamoth.* Conſimili ratione nomina trium filiorum Ismaël משמע ודומה ומשא *Miſchma Duma & Maſſa Geneſ. XXV, 14.* proverbiali locutio-

cutioni ipſis inſerviunt, (p) ſignificant enim, ſi vim vocum ſpectes, *Auditionem, ſilentium & onus*, ut non incommode in eum ſenſum ab Ebræis accipiantur, *multum adverſi audiendum, ſæpe ſilendum, & quicquid evenerit patienter ferendum eſſe.* Quod & Græcorum dictum ἀνέχε καὶ ἀπέχε indicat.

Expedienda demum eſt *ſimilitudo* ſtricte dicta, eſtque ea, quando una res cum altera per adverbia ſimilitudinis confertur. De ea agunt ſequentes canones:

ex Elieſeris regulis XII.

מדבר שהוא בא ללמד ונמצא למד *ex eo,*

quod cum ad illuſtrandum adductum eſſet, deprehenditur illuſtratum.

Regulæ hujus ſenſus fere huc redit: Similia ſe mutuo illuſtrant, atque in comparatione non id modo, quod alteri aſſimilatur, ſed & hoc quod ſibi alterum aſſimilat, rectius cognoſci poteſt. e. g. *Jerem. XLVI, 22.* Ægypti ejulatus comparatur ſtridori ſerpentum: *Vox illius*, inquit Propheta, *quaſi ſerpentis ibit.* Aliunde autem non conſtat, quod ſerpentes adeo ſonorum ſoleant edere clamorem, ut ad ſtupendum Ægypti clamorem illuſtrandum adhiberi poſſit. Ad explicandam igitur ſimilitudinis illius protaſin confugiunt Rabbini ad ſerpentem protoplaſtorum ſeductorem, deque eo comminiſcuntur, quod cum Deus iſti maledixiſſet, edicens, ut ſuper ventre ſuo inpoſterum graderetur, tum deſcendiſſe angelos miniſtratorios, & ſerpenti, qui antehac erecta inceſſerit ſtatura, manus pedesque præcidiſſe: quo facto ſerpentem ſuſtuliſſe

(p) *Druſius Claſſ. I. proverb. libr. V. num. II.*

Clamo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [144] - 136

Clamorem immenſum - - quo pontus & omnes intremuere undæ, penitusque exterrita tellus.

Habes igitur exemplum, quo id, quod ad illuſtrandum adductum erat, clamor ſcilicet ſerpentis ad declarandum ejulatum Ægypti, deprehenditur illuſtratum, quandoquidem ex clamore Ægypti omnes late terras pervaſuro colligere datur, ſerpentis etiam clamorem, cui iſte aſſimilatur, aliquando ad omnes terrarum fines pertigiſſe. Nondum tamen regulæ ſuæ certitudinem nobis perſvadent Rabbini, eo quod iſtam omnium ſimilium naturam eſſe didicimus, ut illuſtrent, certe igitur hæc luce ſua fulgeant oportet. Quemadmodum autem ſolem a luna illuſtrari, aut ſtellas ab obſcura nocte illuminari nemo ſanæ mentis dixerit; ita manifeſtum eſſe arbitramur, ſi in protaſi ſimilitudinis obſcurum quid proponatur, apodoſin non fore clariorem, atque ex tali comparatione nil certi, ſed omne quaſi per nebulam, quæ *Plauti* vox eſt, compertum iri. Ita vero in Scriptura S. fumos lectoribus vendi indignum eſt aſſerere: præſtat conſtanter tueri e diametro oppoſitam huic regulæ ſententiam, quicquid ad illuſtrandum adductum eſt, non demum ab eo, cujus illuſtrandi gratia adducitur, lucem mutuari. Exemplum quod afferebatur, in aliam ab Ebræis contorquetur formam: neque enim opus eſt ad ignotam de ſerpente fabulam confugere, ſed acutus ſerpentum ſibilus nemini non notus ſatis meretur, ut Ægypti penetrantes clamores cum eo comparentur. Sequitur de ſimilitudine canon Rabbinorum alter:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [145] - 137

ex Elieſeris regulis XIV.

מרבר גדול שהוא נתלה בדבר קטן

e magno quod a minori dependet.

Canon hic & difficultate & contradictione caret, idem enim vult, quod noſtrorum Logicorum canon: *Similitudo non mutat conditionem rei ſimilis;* aut etiam ille: *Omne ſimile diſſimile.* Quem in finem in *Halichoth Olam* citatur *Deut. XXXII, 2.* ubi lex Divina pluviæ aſſimilatur, nec tamen inde concludi fas eſt, pluvias præſtantiores eſſe lege Divina, quia hæc ab illis ſuſpendatur, ſed attendenda tertia comparationis, quod ſicut pluvia leniter irrigat terram, fructusque gignit uberrimos, ſic verbum Dei ſvaviter aures demulcet, & inde in corda penetrans, fructus ſpiritus largiſſimos excitat. Ejus ſenſus eſt & *Flacii* canon *Part. II. Clav. Tract. IV. de ſimilitudinibus §. 10. Res malæ cum bonis in aliquo collatæ, non mox per omnia laudantur.* Quemadmodum nullo modo furi patrocinium paratur, quia Chriſtus ſe inopinato venturum eſſe dicit, tanquam fur in nocte; neque etiam Salvator maculam inde contrahit, quod cadaveri, ut fere plurimi Interpretum volunt, ſe ipſum comparat. *Luc. XVII, 37.* Tertium denique de ſimilitudine promimus canonem, ſed eum nullius momenti:

ex Elieſeris regulis XXI.

מרבר שהוקש לשתי מדות ואתה נותן לו הכח היפה שבשתיהן *ex eo quod ad duos modos æqualiter ſe habet, cuique tu vim, quæ in ambobus præſtat, attribuis.*

Spectat hic canon ad ſimilitudines accumulatas, vultque cum in unica oratione plura ſimilia accumulantur,

non

non ſemper in unico tertio omnia applicari, ſed ſingulis poſſe eſſe diverſa comparationis media. Sic *Pſ. XCII, 13. Juſtus ut palma germinabit, tanquam cedrus in Libanon creſcet*; ſimilitudines iſtæ in *Halichoth Olam* ita explicantur: Dici poterat, quemadmodum palma umbram non facit, neque ex ea vaſa conficiunt, ſimiliter ſe habent juſti; ſed doctrinam proponendam ſuppeditat, *ut cedrus*: ut cedrus umbram facit, indeque vaſa conficiunt, talis eſt juſtus. Si dicas: quemadmodum cedrus fructum non profert, ſic juſti; doctrinam ſuppeditat, *ut palma*, nam palma fructum fert. Sed hæc ficta ſunt, neque enim vel de vaſis conficiendis, vel de umbra, vel de fructu arborum ſermo inſtituitur, ſed de felici earum germine, cum quo *Pſaltes* piorum ubertatem comparat.

V. Locus majoris & minoris.

ex Iſmaëlis regulis I.

מקל וחומר *a levitate & gravitate.*

Qua formula Rabbini utramque argumentandi rationem, a minori ad majus & a majori ad minus complexi ſunt, ſed ab ea, quæ frequentius in ſacris paginis occurrit, nomen impoſuere. Eſt autem utraque argumentatio, tam hæc a majori ad minus, quam iſta a minori ad majus, duplicis generis, nonnunquam enim tribus, nonunquam quatuor terminis continetur. Sic illa Lamechi argumentatio continetur quatuor terminis: *Geneſ. IV, 23. 24.* Si Cain voluntarius homicida poſt ſeptem demum generationes erat puniendus, de me, qui neminem occidi, ſed in quo tantum atavi culpa hæret, poſt multos generationum ſeptenarios pœna ſumetur. Producam ipſum *R. Sal. Jarchi* hanc argumentationem ex *Bereſchith Rabba* exponentem: לא הרג למך כלום ונשיו פורשות ממנו

ממנו משקויימו פרייה ורביה לפי שנגזרה גזרה לכלות
זרעו של קין לאחר שבעה דורות אמרו מה אנו יולדות
לבטלה למחר המבול בא ושוטף את הכל והוא אומר
להן וכי איש הרגתי לפצעי וכי אני הרגתי את הבל
שהוה איש בקומה וילד בשנים שיהא זרעי כלה באותו
עון ומה קין שהרג נתלה לו שבעה דורות אני שלא
הרגתי לא כל שכן שיתלו לי שביעיות הרבה:

Non occiderat Lamechus quempiam, ſed uxores ejus ſeparaverant ſe ab eo, ne ſobolem ex eo ſuſciperent, quoniam decretum erat perdere ſemen Caini poſt ſeptem generationes. Dicebant igitur, cur quæſo pareremus fruſtra? ſtatim enim veniret diluvium, & inundaret omnes. Tunc ille reſpondit iis: Etiamſi ipſe virum occidiſſem ad vulnus meum, etiamſi ipſe occidiſſem Abelem, qui erat vir quoad ſtaturam, & puer quoad ætatem, ut adeo ſemen meum in recenti prorſus crimine eſſet; quid tum? Quid quæſo factum eſt Caino homicidæ? dilata eſt pœna ejus per ſeptem generationes; nonne multo magis mihi, qui neminem occidi, differetur pœna per multos generationum ſeptenarios? Sed ut argumentationem Lamechi ſtultam vocant, teſte *Raſchi:* זהו קל של שטות אם כן אין הקב"ה גובה את חובו וקיים את דברו *hæc argumentatio a majori ad minus inepta eſt, ſi enim ita eſſet, Deus Sanctus & Benedictus nunquam poſſet exigere delictum ejus, & verbum ſuum exequi:* ita & ipſam hanc argumentandi rationem in genere non magnopere æſtumant. Potior eſt illa, quæ tribus terminis abſolvitur, qualis occurrit *Num. XII, 14.* Si Mirjam ob jurgia paterna meretur per ſeptem dies includi, multo magis æqvum eſt, ut ob jurgia Dei per ſeptem dies includatur.

Quod

Quod perſpicue indicat *Abendana* ad l. c. והטעם ואלו אביה כעס עליה וירק בפניה הלא תכלם לראות פניו שבעת ימים קל וחומר לשכינה על כן תסגר שבעת ימים כנזופה לפני המקום ואחר תאסף. *Senſus eſt, ſi pater ejus indignaretur ipſi, & exſpueret in faciem ipſius, annon vereretur conſpicere faciem ejus per ſeptem dies; quanto magis ob majeſtatem Divinam? Secludatur igitur ſeptem dies, tanquam reprehenſibilis Deo, & deinde rurſus aſſumatur.* Vides in iſta argumentatione non progredi Deum ad inferendum terminum quartum, hac forſan ratione: Si Mirjam ob jurgia patris ſui ſecludenda eſt per ſeptem dies, æquum eſt, ut ob jurgia mea ſecludatur ad minimum 14 dies; verum ſimiliter de ſeptem tantummodo diebꝰ concludit. VndeEbræis nata eſt regula:

אין דינין קו"ו אלא להטיל על הלמד אותו חמרא שנמצאת במלמד בלבד אבל לא להעדיף עליו יותר מהמלמד ואף על פי שהלמד כ"כ חמור בערך המלמד והיינו דקאמר בכל דוכתא דיו לבוא מן הדין להיות כנדון.

Non argumentantur a minori ad majus, niſi ut ſuper id quod docetur, eam tantum gravitatem jaciant, quæ in eo quod docet invenitur, ſed non adeo, ut iſtam magis in illo quam in hoc augeant, quamvis etiam quod docetur majorem habeat gravitatem, illius quod docet reſpectu. Atque hoc illud eſt, quod paſſim dicitur: Sufficit ei, quod ex argumentatione provenit, ut illi, unde argumentum ducitur, ſit æquale, i. e. ſufficit ei quod docetur, ut docenti æquetur. Quam regulam cum *Conſt. L' Empereur* in ſuis *ad Baba Kamma commentariis p. 33. ſqq.* ſedulo diſcuſſerit, eo labore nos ſuperſedere poſſumus. Ad-

esto ejus loco exemplum aliud ex *Massech. Jebhammoth cap. VIII. thes. 3.* quam, ut de sensu rectius constet, integram recensebimus: עמוני ומואבי אסורים. ואיסורין איסור עולם. אבל נקבותיהם מותרות מיד. מצרי ואדומי אינם אסורים אלא עד שלושה דורות. אחד זכרים ואחד נקבות ר׳ שמעון מתיר את הנקבות מיד. אמר ר׳ שמעון קל וחומר הדברים. ומה אם במקום שאסר את הזכרים איסור עולם התיר את הנקבות מיד מקום שלא אסר את הזכרים אלא עד שלושה דורות. אינו דין שתתיר את הנקבות מיד. *Ammonitæ & Moabitæ prohibiti sunt* (ne recipiantur in Ecclesiam Dei) *& quidem prohibitione æterna, sed fœmellæ harum gentium illico licitæ sunt. Ægyptii & Edomæi non prohibiti sunt nisi in tribus generationibus, masculi pariter & fœmellæ. Rabbi Simeon fœmellas Ægyptiorum & Edomæorum illico licitas pronunciat. Nectit enim R. Simeon argumentum a majori ad minus. Quid quæso, annon quando prohibitis masculis prohibitione æterna, fœmellæ illico licitæ pronunciantur, æquum esset, ut, cum masculi duntaxat per tres generationes sunt prohibiti, fœmellæ illico licitæ pronunciarentur?* Hæc R. Simeonis argumentatio utut Hebræis non probetur, notante *Bartenura*, omnino tamen regulis Logicorum quin & ipsi adductæ Ebræorum regulæ est consentanea; sed ut alias usum dicendi tyrannum dicere consvevimus, quod legibus dicendi sæpe vim inferat, sic mihi videtur Ebræorum consvetudo argumentationum tyrannus dici posse, quod iis sæpe contraria introduxerit. Ex dictis nequit obscurum esse, quis binarum regularum Elieseris de eadem argumentandi ratione sit sensus, quæ tamen ipsæ recensendæ hoc loco sunt:

ex Elieſeris regulis V.

בקו סתום *Implicito argumento a minori ad majus.*

ex ejusdem regulis VI.

בקו מפורש *explicito argumento a minori ad majus.*

Poſterioris regulæ exemplum eſt *Jerem. XII, 5.* ubi diſertis verbis argumentum a minori ad majus exhibetur: *Quando cum pedibus currens defatigatus es, quomodo miſcebis te equis?* Quale etiam occurrit *Eſth. IX, 12.* & a majori ad minus clare concludunt ſervi Naamanis *2. Reg. V, 13.* Prioris exemplum affertur in *Halichoth Olam* ex *Pſ. XV, 4.* נשבע לרע ולא ימיר quod Rabbini ita vertunt: *juratus ad malefaciendum ſibi non tamen mutat*, atque inde inferunt, quanto minus ad benefaciendum ſibi, mutabit? Quod cum videatur ſatis durum, ulterius quærunt: Quodnam eſt malum proprium, quod ipſi ut faciat licitum eſt? Reſpondet R. Johannes. e. g. ſi in mari fuerit, & voverit, in luctu jejunus permanebo, donec domum revertar.

VI. Locus oppoſitorum.

Sunt qui Rabbinorum mentem circa oppoſita ita accipiunt, ut arbitrentur, eos affirmare, idem ſimul eſſe & non eſſe poſſe; & iſti quidem non deſtituuntur ſuis argumentis, quæ B. *Friſchmuth* in peculiari diſſertatione collegit. Sunt autem ea potiſſimum inde deſumta, partim quod unius dicti plures poſſe eſſe ſenſus ajant, partim quod Doctorum ſuorum controvertentium ſententias

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [151] - 143

tentias utrinque Divina auctoritate pollere, atque asserta e diametro sibi contraria verba Dei viventis & per consequens indubitato vera esse doceant. Liceat tamen salva eorum omnium, qui hæc de Judæis tradiderunt, auctoritate paulisper ab his discedere partibus, cum persvasi simus, istam Ebræorum formulam, אלו ואלו דברי אלהים חיים *hinc atque istinc sunt verba Dei viventis*, non hoc velle, utramque controvertentium sententiam Divinæ esse veritatis; sed utramque doctorum sententiam, si quidem ii ob honorem Dei veritatisque indagationem litigaverint, esse e verbo Divino per suas consequentias utut non æque firmas deductam, eam vero, quæ usu invaluit, opinionem putari firmioribus niti ratiociniis. Quod autem unius dicti plures possint esse sensus, non ita nude acceperunt saniores Judæi, sed potius ita intelligi volunt, posse esse unius loci plures expositiones allegoricas, (quæ non nisi variæ accommodationes & sæpe detorsiones sunt Scripturæ) sensum autem literalem Scripturæ manere semper eundem, ceu diserte scribit *Raschi* in *præf. ad Canticum canticorum:*

מקרא אחד יוצא לכמה פעמים וסוף דבר אין לך מקרא מיוצא פשוטו ומשמעו *unus idemque versus Scripturæ in multos diduci potest sensus, summa tamen hæc est tenenda, quemque locum suum certum habere sensum simplicem & literalem.* Quare non equidem libenter vellem Judæis saltem emunctioris nasi hanc crassam & flagris dignam imputare ignorantiam, ut oppositorum repugnantiam non agnovisse existimem. Contrarium testantur aliquæ ex supra recensitis regulæ, quibus Scripturæ contradictiones omni modo conciliare student, merito hic à nobis expendendæ:

ex

ex Ismaëlis regulis XIII.

שני כתובים המכחישים זה את זה עד
שיבא הפסוק השלישי ויכריע ביניהם

Duo loca Scripturæ ſibi invicem repugnare videntur, donec accedat verſus tertius, & præponderet præ illis duobus.

ex Elieſeris regulis XV.

משני כתובים המכחישין זה את זה:

e duobus locis Scripturæ, quæ ſibi invicem contradicunt.

Senſus eſt, nefas eſſe Scripturæ S. contradictiones attribuere, quare ſi duo loca ſibi repugnare videantur, attendendum eſſe ſolicite, annon ex aliquo tertio loco conciliari queant. Etenim grata ſimilitudine Ebræi contrariantes verſiculos veluti trutinæ appendunt, quod incertum eſt, quam in partem inclinare conveniat, donec tandem tertio accedente verſu mens lectoris ad veritatem inflectatur. e.g. *Num. VII, verſ. ult. cum iret Moſes in tabernaculum conventus, ut loqueretur cum* Deo, *audivit vocem ejus loquentem ad ſe deſuper e propitiatorio;* hunc verſum *Raſchi* ait, conciliare duos alios verſus, quoad ſpeciem ſibi invicem contrariantes. Verba ejus hæc ſunt:

שני כתובים המכחישים זה את זה שלישי בא והכריע
ביניהם כתוב אחד אומר וידבר ה' אליו מאהל מועד
והוא חוץ לפרוכת וכתוב אומר ודברתי אתך מעל הכפורת
בא זה והכריע ביניהם משה בא על אהל מועד ושם
שומע את הקול הבא מעל הכפורת מבין שני הכרובים
הקול יוצא מן השמים לבין שני הכרובים ומשם יצא לאהל
מועד:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [153] - 145

מוער: *Sunt duo verſus qui repugnare ſibi invicem videntur, hoc loco accedit tertius, & conciliat utrumque. Alter verſus dicit:* (*Levit. I, 1.*) *Et locutus eſt Dominus ad eum deſuper e tabernaculo conventus, id quod fuit extra velamen; & alter verſus inqvit:* (*Exod. XXV, 22.*) *Loquar tecum deſuper ex propitiatorio. Accedit nunc tertius verſiculus & conciliat utrumque. Venit ſcilicet Moſes ad tabernaculum conventus, ibique audivit vocem deſuper ex propitiatorio e medio duorum Cherubim. Exibat, inquam, vox Dei e medio duorum Cherubim, & inde pertingebat in tabernaculum conventus.* Ita contrariari ſibi videntur *Exod. XIX, 20.* & *Exod. XX, 22.* ſiquidem in priori loco Deus legem laturus legitur deſcendiſſe in montem Sinai, in poſteriori legem e cœlis proclamaſſe dicitur. Quam ἐναντιοφάνειαν conciliat *Raſchi* ad poſteriorem locum ita commentans: בא הכתוב השלישי והכריע ביניהם מן השמים השמיעך את קולו על הארץ הראך את אשו הגדולה ככודו בשמים ואשו וגבורתו על הארץ דא״ הרכין שמים ושמי השמים והציען על ההר וכן הוא אומר ויט שמים וירד: *Accedit verſus tertius, & conciliat utrumque: Deut. IV, 36. E cœlis audire te fecit vocem ſuam, & ſuper terra monſtravit tibi ignem ſuum magnum. Igitur gloria ejus in cœlis fuit, ignis autem & potentia ejus ſuper terra. Expoſitio alia: Diſrupti ſunt cœli & cœli cœlorum, quos ſtillare fecit ſuper montem, quemadmodum alibi inquit:* (*Pſ. XIIX, 10.*) *& inclinavit cœlos & deſcendit.* Hæ forſan contradictiones faciliores ſunt, difficilior iſta, quæ in computatione populi Israëlitici occurrit, ſiquidem *2. Sam. XXIV, 9.* Joabus legitur tradidiſſe catalogum populi,

puli, & fuisse tunc temporis Israëlitarum octingenta millia; at vero *1. Chron.* XXII, 5. eadem computatio populi recensetur, sed Israëlitarum millena millia & centena millia fuisse referuntur, qui sane numerus trecentis millibus excedit superiorem. Hanc differentiam numerorum feliciter conciliat *Abendana*, inquiens:

בשלושים ושתים מדות דרבי אליעזר בנו של רבי יוסי
הגלילי אומר משני כתובים המכחישים זה את זה
עד שיבא הכתוב השלישי ויכריע ביניהם כיצד כתוב
אחד אומר ויהי כל ישראל אלף אלפים ומאה אלף
איש וכתוב אחד אומר ותחי ישראל שמנה מאות אלף
איש אלו שלש מאת אלף מה טיבן בא הכתוב השלישי
והכריע בני ישראל למספרם ראשי האבות וגו המשרתים
אל המלך לכל דבר המחלקות הבאה והיוצאת חדש
בחדש לכל חדשי השנה המחלוקת אחד עשרים וארבעה
אלף שלש מאות אלף היו כתובים בנימוסו של מלך
ולא היו צריכים להמנות כיצד עשרים וארבעה לף
לשנים עשר הרי כאן מאתים ושמנים ושמנה אלפים
נשתיירו שנים עשר אלף לנשיאי ישראל והשליכן הכתוב
כאן וחזר וכללם להלן.

In 32 regulis R. Eliesèris filii R. Josis Galilæi dicitur: E duobus versibus contrariantibus sibi invicem, donec accedat versus tertius, & conciliet utrumque. Scilicet alter versus dicit: Et erant Israëlitarum millena millia & centena millia; alter autem versus dicit: Et fuerunt Israëlitarum octingenta millia. Quæ jam ratio est trecentorum millium? Accedit versus tertius & conciliat: Filii Israëlis secundum numerum suum, principes familiarum &c. qui ministrabant

Regi in omni negotio catervarum, quæ ingrediebantur & egrediebantur per menſes ſingulos, omnibus menſibus anni, turma una erat viginti quatuor millium. Igitur trecenta millia virorum erant inſcripta manuali Regis, nec opus erat, ut numerarentur. Nempe viginti & quatuor millia per duodecim menſes multiplicata efficiunt ducenta octoginta octo millia, reſtant adhuc duodecim millia præfectorum quæ adjecit præſens verſus, & complectitur univerſam Israëlitarum ſummam. Intricatiora hæc primum videntur, non autem ideo ſpernenda ſunt. Hoc vult dictus *R. Abendana*; Quando adducto *Samuelis* loco 800000 Israëlitarum, in *Chronicorum* autem loco 1100000 fuiſſe leguntur, in priori non ſimul computatos eſſe eos, qui quotidianis miniſteriis atque excubiis coram Rege deſtinati erant, quorum numerus ad 300000 accreſcebat; conſtitutis enim per ſingulos menſes ad hæc miniſteria 24000 viris, prodit per integrum annum numerus 288000 virorum, quibus ſi præfectorum 12000 addantur, habes ſummam 300000 virorum ad annua miniſteria Regis conſtitutorum. Vt mittam nunc id genus conciliationum quando non præciſe ex tertio Scripturæ loco, ſed alio quocunque modo dirimere dictorum pugnam ſolent, in quo genere idem *Abendana* ſedulo operam navavit, vel ex his ſatis apparet, utriusque oppoſiti veritatem a ſanioribus Ebræis non aſſeri. Ad locum de oppoſitis reducendum & hoc eſt, quod obſervarunt Ebræi, eventum alicujus rei nonnunquam contrariari ejusdem rei præſagio, unde illis natæ ſunt duæ regulæ:

ex Elieſeris regulis X.

מרבר שהוא שנוי *e re immutata.*

e Gemariſtarum regulis X.

פרשה שנאמרה ונשנית בשביל דבר שנשנית בה׳ *Sectio quæ cum immutatione proponitur, mutatur propter id quod in ipſa innovatur.*

In regularum iſtarum exemplo mirifice pro more ſuo ludunt Ebræi. Conveniebat inquit R. Jose filius Haninæ, ut 42 annorum fames invaderet Ægyptum, nam Pharao videbat 7 vaccas & 7 ſpicas, ecce 14. iterum memorantur 7 vaccæ & 7 ſpicæ, ecce 28. poſtea Joſeph memorat 7 vaccas & 7 ſpicas, ecce 42. Sed quandoquidem Jacob in Ægyptum deſcendit, totam famem in ſummam contraxit, & non niſi ſeptennis fames fuit. Verum quando redierunt iſti 42 anni? Diebus Ezechielis, ut dicitur *Ezech.* XXIX, 11. Dici etiam poteſt, quod omnino conveniebat, ut 42 anni ſupervenirent, ſed quod Joſeph pro illis oraverit. Hæc ex *Haluchoth Olam* recenſui, quisque autem videt, vanam eſſe & futilem argutationem, ipſi textui ſacro repugnantem, qui memorat, Joſephum Divino afflatum Spiritu prænunciaſſe, ſeptem vaccas & ſeptem ſpicas indicare ſeptem ſolummodo annos. Rectius huc retulerim vaticinium Jonæ: *Superſunt quadraginta dies, quibus elapſis Ninive deſtruetur;* cui tamen vaticinio eventus non reſpondebat, Deo indictam pœnam benigniſſime ab ipſis avertente. Ex quo intelligimus, immutatam eſſe hanc ſectionem, eo quod ipſa urbis Ninives mutabatur facies, incolæque aliam vitam alios mores induebant.

De argumentis inartificialibus.

De his prolixe agere non adeo conſultum ducimus, partim quod in vulgus notum ſit, quantopere Judæi ni-

mio Doctorum ſuorum æſtimio ferantur ; partim quod ipſa Doctorum autoritas in *Halichoth Olam* & paſſim alibi celebretur, & quantum quisque autoritate alterum antecellat, ſolerter excutiatur; partim, quod ea demum omnia ad dijudicandas quæſtiones nobis hoc loco propoſitas parum momenti conferre videantur. Hanc enim, ut ſupra notavimus, quæſtionem Logicæ Ebræorum propriam eſſe arbitramur: *Quomodo hoc illudve dogma ex Scriptura S. per legitimam ex Rabbinorum mente conſequentiam diduci poſſit;* quorſum, niſi nos omnia fallunt, hujus generis argumenta non ſpectant.

Caput Tertium

Paralipomena quædam colligens.

ANimus olim erat, in noſtris pagellis ſtrictius ſejungere Logicæ atq; Hermeneuticæ fines, & capite antecedente ſecundo modulos argumentandi Hebræorum pertractare, hoc autem tertio, quem ii in interpretandis Scripturis uſum nobis præſtare poſſint, declarare, qua occaſione cenſuram regularum omnium huic ultimo capiti reſervare propoſueramus, ceu capite proœmiali ſignificavimus. Alia autem in progreſſu laboris mens venit, præſertim cum videremus, cenſuram cujusque regulæ, & ſi opus ſit, cujusque exempli commodius proxime annecti, quam rejici in finem, proindeque ut id pro ingenii noſtri modulo expediremus, nonnihil ſtudii atque laboris inſumſimus. Relinquebantur autem inter recenſitas regulas aliquæ, quæ

locum

locum ſatis commodum in Logica ſortiri nequibant, & inter has nonnullæ, quarum non nimis frequens uſus uberiorem nobis explicationem præcidebat, has, ne quid intactum relinqueretur, in poſtremo capite collectas confuſo ordine ſive recenſere ſive explicare inſtituimus.

(1) ex Ismaëlis regulis III.

מבנין אב מכתוב אחד· ובנין אב משני כתוביכם· *a conſtitutione principii ex unico Scripturæ loco, & a conſtitutione principii ex duobus locis.*

Regulæ hujus, quæ & inter Elieſeris regulas octavo loco poſita eſt, iſte eſt ſenſus: aliqua Scripturæ dicta pro fundamento aſſumenda eſſe, juxta quod cætera cum eo convenientia dijudicanda ſint. Eſt enim celebre apud eos axioma, S. Scripturam non uti repetitione, ſed utplurimum brevitate gaudere, ita tamen, ut ſi fuerint plures loci inter ſe affines, uni ex illis apponat, quod omnibus debeat inſervire. Quare autem hæc ratio interpretandi dicatur בנין אב *ædificium patris*, cauſam hanc eſſe ait *Philippus Aquinas*, quod ea quaſi ædificium paret, ad quod alii textus ſeſe recipiant, ibique quam interpretationis formam debeant inducere, ab eo, ut a parente filii, accipiant. Vt autem regula in duas ſcinditur partes, ſic duorum generum exempla afferenda erunt: primo quidem talia, ubi in unico loco fundamentum aliorum conſtituitur. Sic *Levit. XX, 27.* eſt verſus fundamentalis, inde enim quod illic de vatidicis & præſtigiatoribus dicitur: *morte plectantur, lapidibus obruantur, ſanguis eorum ſit ſuper ipſis*; colligunt in cæteris quoque locis, ubi occurrit phraſis, *ſanguis ejus ſit ſuper ipſo,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [159] - 151

ipſo, ſanciri lapidationis pœnam, quamvis ejus expreſſa mentio non fiat. Ita enim *Raſchi* ad *Levit. XX, 9.* adjicit generalem regulam: כל מקום שנאמר רמיו בו דמיהם בם זו סקילה ולמדנו מאוב וידעוני שנאמר בהם באבן ירגמו אותם דמיהם בם. *Quocunque loco dicitur: ſangvis ejus ſit ſuper illo, ſangvis eorum ſit ſuper ipſis, denotatur lapidationis pœna, id quod diſcimus ex loco Scripturæ de vatidico & præſtigiatore agente, de quibus dicitur, lapidibus obruantur, ſangvis eorum ſit ſuper ipſis.* Similiter quando *Exod. XII, 16.* de azymorum feſto dicitur: *Cibus cujusque animæ ſolum parabitur vobis*, fundamentalem hunc locum conſtituunt, unde idem de aliis feſtis, de quibus Scriptura nihil definit, concludere liceat. Sic & in hiſtorica narratione eum modum interpretandi adhibent, veluti cum R. Hija inquit, ad unumquemque ſermonem, cum vocaret Deus Moſen, ipſe reſpondit: *Ecce me*, conſtitutionem enim principii pro omnibus exſtare *Exod. III, 4.* Videamus nunc, quomodo e duobus Scripturæ locis fundamentum tale conſtituant. Primo aſſumunt duo Scripturæ loca, utut de rebus diverſis agentia; deinde oſtendunt rationem connexionis inter iſta diverſa loca; tum quid quilibet eorum peculiare habeat, inveſtigant, atque poſtremo hæc duo momenta conjungunt, docentque cætera loca omnia, quæ ſimili ratione cum alterutro textu conveniunt, utrumque punctum, quod ex ambobus eruebant, ſuſtinere. Exemplo res fiet clarior: Referamus primum duo Scripturæ loca, alterum *Levit. XX, 6. Quisquis ſectatus fuerit vatidicos & præſtigiatores, adverſus iſtum ponam faciem meam, eumque exſcindam e populo ſuo;* alterum *ibid. verſ. ultimo: Quisquis, ſive vir ſit ſive mulier, ſpiritu*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [160] - 152

ritu vatidico præditus eſt, morte plectitor, lapidibus obruitor, ſangvis eorum ſit ſuper ipſis. Inter hos verſiculos datur ea convenientia, quod in utroque mentio fiat vatidicorum; habet autem quilibet id peculiare, quod in priori pœna excidii e populo Israëlitico, in poſteriori pœna mortis conſtituatur; hoc utrumque conjungunt, dicentes, id velle legem Divinam, ſi quis præſtigiis uſus fuerit, & per teſtes convincatur, præmonitum ipſum fuiſſe, tum mortis pœnam locum habere; ſin nunquam præmonitus, ſtudio tamen & data opera ad præſtigias ſe applicuerit, tum excidii pœnam irrogandam eſſe; ſin per errorem & præter intentionem arti præſtigiatoriæ implicitus fuerit, neutram ex ante dictis pœnam ei conſtitui. Ex hoc igitur judicant loca Scripturæ cætera, quæ nunc criminis alicujus reo mortem, nunc eidem excidium interminantur, dicuntque eadem requiſita in eo attendenda eſſe, id quod *Raſchi* voluit, ad *Levit. XX, 27.* ſcribens: כאן נאמר בהם מיתה ולמעלה כרת ערים והתראה בסקילה מזיד בלא התראה בהכרת ושגגתם חטאת וכן בכל חייבי מיתות שנאמר בהם כרת: *hic dicitur de iis (præſtigiatoribus) pœna mortis, & ſuperius pœna excidii. Quod ita intelligendum, ſi teſtibus convicti fuerint, & antea præmoniti, tum lapidatione; ſi data quidem opera, non autem antea præmoniti præſtigiis uſi ſint, excidio puniuntur; ſi plane præter intentionem egerint, imputatur ipſis pro peccato. Perinde ſe habet cum omnibus, qui rei ſunt mortis, de quibus Scriptura alicubi excidium ſancit.* Videtur cum hac regula, ſi animia argutandi licentia repurgetur, convenientiam habere iſte modus interpretandi, quem analogiam dicimus, quo jubemur loca Scripturæ dubia non modo ex iis interpretari, in quibus ſedes ejus

doctrinæ constituitur, sed & cæterum cauti esse, ne quid analogiæ fidei difforme in textum inferatur. De quibus alii.

(2) e Gemaristarum regulis I.

יש אם למקרא ויש אם למסורת *Principium lectioni inest, & principium traditioni inest.*

Sensum ejus ut recte assequamur, præeunte *Buxtorfio* (q) aliqua notanda ducimus: 1) vocem אם, quæ proprie *matrem* significat, hic idem denotare ac עיקר *principium, fundamentum*, ita enim solent Ebræi etiam vocem אב usurpare, significaturi principium alicujus rei, a quo cætera æstimationem suam accipiunt, unde locutiones istæ אבות נזוקים *patres damnorum*, אבות הטומאות *patres immunditierum*. 2) vocem מקרא hic denotare textum Biblicum, quoad literas in eo expressas, puncta substrata, atque adeo quoad communem legendi rationem spectatum. Vnde 3) patet, plane aliud indicari per אם למקרא atque per אמות הקריאה *matres lectionis*. 4) per מסורת hic innui mysticam aliquam & subtilem expositionem vocis, vel secundum easdem quidem consonas, sed aliis vocalibus animatas, vel in alium sensum quocunque modo tractas & explicatas per traditionem aliquam seu a Maforethis seu ab aliis acceptam. Vsus axiomatis hujus est, cum de re quapiam inter se disputant, sæpe contingit, ut uterque eodem nitatur scripturæ textu, quem alter secundum receptam lectionem adhibet, dicitque יש אם למקרא *fundamentum meum est in ipsa Scriptura more consveto lecta;* alter secundum traditionem aliquam exponit, ac dicit: יש אם למסורת *mea sententia nititur etiam Scriptura,*

(q) *de punctorum antiquitate p.* 103. *sq.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [162] - 154

ptura, ſed juxta traditionem oralem explicata. Primarium fundamentum eſt מקרא *communis & recepta lectio*, ſecundarium מסורת *expoſitio ſublimior.* Duobus ita controvertentibus, accidit ſæpe, ut tertius eos conciliet, dicatque: יש אם למקרא ויש אם למסורת hoc ſenſu, ut utramque expoſitionem retineri poſſe, neque ſententias iſtas contrarias ſed ſubordinatas eſſe ſignificet. Occurrit ejusmodi diſceptatio circa *Exod. XII, 46.* בבית אחד יאכל *in una domo comedetur.* R. Simeon in lectione ponens fundamentum exiſtimat, Deum hic de paſchate monere, ut in uno cœtu edatur, non vero duobus in cœtibus, cæterum uni cœtui licitum eſſe, ut duobus locis edat. R. Jehuda contra opinatur, fundamentum eſſe in traditione, ipſe enim vocem poſtremam aliis animat vocalibus, legitque יאכל *edet*, ut evincat, edentem commoneri a Deo, ne agnum paſchalem duobus in locis edat. Prior autem R. Simeonis ſententia ut recepta ſcripturæ lectione nixa prævalere creditur. Quo & ſpectare videtur expoſitio vocis וישקהו ſuperne per omnes literas excepta litera ש punctatæ, *Gen. XXXIII, 4.* quam alii interpretantes prout ſonat, Eſavum vero oſculo excepiſſe fratrem affirmant; alii traditionem commenti literam ש non punctatam abjiciunt, leguntque ויקהו *& obtuſi fiebant*, ita enim legitur in *Sipthe Chacamim:* מלת וישקהו נקוד לבד השין שבו אינה נקודה והוא כאלו כתיב ויקהו לשון הקהה את שינין שהיה ברעתו לנשכו: *Vox* וישקהו *punctata eſt, ſola autem litera Schin non habet punctum, perinde igitur eſt ac ſi ſcriptum exſtaret* ויקהו *quod gignit ſenſum de obtuſione dentium, fuerat enim Eſavi animus mordendi Jacobum.* Scilicet memoratur in *Elle Schemoth Rabba*, (r) Eſavum voluiſſe mordere Jacobum, Divino autem

(r) *narrante* Cartwrighto *in* Mellificio Hebr. *libr. V, c. X.*

miraculo factum, ut collum Jacobi verteretur in marmor, indeque dentes istius scelerati plane obtusos fuisse redditos. Quin & nugari pergunt, ajentes, quod Scriptura utrumque fleviſſe memorat, causam aliam non esse, quam quam quod Esavus perditum dentium usum, Jacobus perditam colli mollitiem & flexibilitatem fleverit. Has diversas sententias conciliare videtur *Raschi* allata opinione R. Simeonis, verum quidem esse, quod Esavus odio flagraverit adversus fratrem, & probabile, quod animo non satis ingenuo ad eum accesserit; sed eo temporis momento, quo ad fratrem se inclinaret, commotum esse fraternum pectus, commutatumque animum, ut sincero mentis affectu osculum ipsi dederit. In exemplis & regula ipsa ubivis patet Hebræorum interpretum levitas, quam non opus est multis verbis perstringere.

(3) ex Elieseris regulis IX.

מדרך קצרה *a compendio.*

Regula hæc observat, ellipticas locutiones in Scriptura admodum frequentes esse, de quibus *Raschi* non procul ab initio commentarii sui ait: יש לך מקראות שמקצרים לשונם וממעטים תיבה אחת כמו כי לא סגר דלתי בטני ולא פירש מי הסוגר וכמו ישא את חיל דמשק ולא פירש מי ישאנו וכמו אם יחרוש בבקרים ולא פירש אם יחרוש אדם בבקרים וכמו מנוד מראשית אחרית ולא פירש מנוד מראשית דבר אחרית דבר. *Sunt textus quidam, quorum loquela est abrupta, & qui vocis unius ellipsin patiuntur, e. g. (Job. III, 10) quoniam non clausit fores ventris mei, ubi non explicatur, quis sit ille, qui claudere debuerit. Item (Jes. VIII, 4.) auferet robur Damasci; nec hic*

hic explicatur, quis ſit ablaturus. Tale etiam eſt: (*Amos. VI, 12.*) *Num arabit bobus? nec explicat, num homo ſit araturus bobus. Similiter etiam:* (*Eſ. XLVI, 10.*) *annuncians a principio poſtremum; nec perſpicue exponitur, annuncians a principio rei poſtremum rei.* Id abbreviaturum locutionum genus notat etiam paſſim *R. Salomo ben Melech.* e. g. *Deut. XX, 19.* ad verba: *quoniam homo eſt arbor agri*, ſcribit: כי חיי האדם עץ השדה ומענינו תבין חסרונו *quoniam vita hominis eſt arbor agri, ex contextu enim intelligere potes defectum iſtum.* Idem etiam ad hanc regulam reducit, quod *Joſ. II, 4.* de Rahab dicitur, *apprehendit ambos viros iſtos, & abſcondit eum* (in ſingulari) ubi ita commentatur: במכלל אמר לשון יחיד על רבים דרך קצרה *in Michlol dicitur, cum ſingularis uſurpatur de multis, id fit locutione elliptica;* (mallem equidem hoc ad enallagen reduci) Addam poſtremo ex eodem id quod *1. Chron. XVII, 5.* obſervat, qvum dicitur: *a tabernaculo in tabernaculum & ab habitaculo;* addit noſter: רל"ו ממשכן אל משכן ולפי שאמר מאהל אל אהל סמך על המבין *dicturus erat: & ab habitaculo ad habitaculum; quoniam autem dixerat, a tabernaculo in tabernaculum, ſuppletionem hanc relinquit judicio lectoris.*

(4) ex Elieſeris regulis XXII.

מדבר שחבירו מכיח עליו *ex eo quod a compari arguitur.*

Eſt ejusdem ſenſus cum ſuperiori, nec in exemplis apparet aliqua diſcrepantia. Huc enim in *Halichoth Olam* reducitur *Proverb. XXI, 14. Donum in abdito evertit iram, & munus in ſinu iram fortem*, ubi ex antecedente hemiſtichio repetendum eſt, *evertit.* Ita *Eſ. XLII, 8. Gloriam*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [165] - 157

meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus, repete, *dabo*. Quæ difficultate carent.

(5) ex Elieſeris regulis XXIII.

מדבר שהוא מוכיח על חבירו *ex eo quod compar ſuum arguit.*

Quantum nobis colligere licuit, hac regula iſtæ locutiones Scripturæ notantur, quibus nomen proprium ponitur pro communi. e. g. *Pſ. XXIX, 8. Vox Jehovæ trepidare facit deſertum, trepidare facit deſertum Cades*; deſertum Cades tanquam illuſtrius individuum ponitur, ſimul autem alia deſerta ob tonitrua tremere intelliguntur. Piget futiles Ebræorum argutationes, quas huic interpretationi ulterius annectunt, ſubjicere, modum ipſum non culpandum eſſe B. *Glaſſius* tradidit in *Rhetor. S. p. 448.*

(6) ex Elieſeris regulis XIX.

מדבר שנאמר בזה והוא דין בחבירו *ex eo, quod cùm de hoc dicatur, in compari etiam locum habet.*

Non reperi exemplum aliud, niſi quod in *Halichoth Olam* refertur: facilius autem caremus exemplorum frequentia, quia in ipſa regula parum momenti ſitum eſt. Recenſebo tamen unicum illud ex *Pſ. XCVII, 1. Lux ſata eſt juſto & rectis animo lætitia.* Quanquam de ſingulis in quocunque verſus hemiſtichio diverſi aliquid enuncietur, tale tamen eſt utrumque, ut de utroque affirmari queat.

(7) ex

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [166] - 158

(7) ex Elieseris regulis XXVIII.

מכנגד *a pari.*

Sic quando *Num. XIV, 34.* pro numero 40 dierum 40 anni Israëlitis assignantur, quibus calamitates perpessuri sint, id fieri dicunt מכנגד *a pari* sive per mutuum respectum. Inprimis ejusmodi exempla *Baal Hatturim* frequenter observat, producam saltim unicum: ad *Genes. XXVI, 13. Et invaluit vir iste Isaac, & continuo perrexit invalescere, usque dum invaluisset insigniter*; ipse ita glossatur: ג׳ גדולות כנגד ג׳ ברכות שנתברך בעקידה כי ברך אברכך והתברכו בזרעך: *Trina repetitio verbi invalescere respectum habet ad triplicem benedictionem, quam Deus Isaaco impertitus est ob ligationem, quæ legitur Gen. XXII, 17, 18. Benedicendo benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo &c.*

(8) ex Elieseris regulis XVI.

מדבר מיוחד במקומו *ex eo quod suo loco singulare est.*


Obsignabimus has pagellas isthac regula, tanquam egregio ineptiarum Judaicarum testimonio, & quandoquidem sensus ejus non est reconditus, exemplorum par afferemus. *1. Sam. I, 11.* Hanna preces suas ita inchoat: *Jehova exercituum*; quam formulam hoc loco peculiarem vim habere Rabbini asserunt. Id enim indicaturam fuisse piam fœmellam: Domine mundi, duos mundos in tuo mundo creasti, superiores non fœtificant, vel augescunt, inferiores fœtificant; si ex inferioribus sum, sim fœtificans & augescens; sin ex superioribus, in

in vivis maneam nec moriar. Adhuc magis ineptit *Raschi* ad *Exod. IV, 20.* ubi Moses uxorem suam & filios asino vexisse dicitur, addit ille: חמור המיוחד הזה החמור שחבש אברהם לעקדת יצחק והוא שעתיד מלך המשיח לרכב עליו שנאמר עני ורוכב על חמור *asinus iste plane peculiaris est, idem scilicet, quem sternebat Abraham immolaturus Isaacum, idem etiam quo vehetur Rex Messias, ut dicitur Zach. IX, 9. pauper & equitans super asino.* Heus cedro dignam observationem, quis tantam antiquitatis notitiam in isthoc Hebræo quæsivisset? Est sane, quod reliquiarum admiratores asinum istum vel ipsis annis venerabilem digno cultu afficiant, nos risu excipiemus & explodemus.

Atque sic regulas argumentandi atque interpretandi Ebræorum discussisse sufficiat, in quibus si sæpiuscule erraverimus, errasse nos & ingenii judiciique imbecillitas, & multæ lectionis defectus, & optimorum librorum inopia nobis ipsis & procul dubio aliis persvadent, veniam ab æquo lectore speramus, olim, si Deus voluerit, daturi elaboratiora.


S. D. G.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [168] - 160



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7:ZEN Leibn. Marg. 42, [169] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [170] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [171] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [172] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 42, Stück 7;ZEN Leibn. Marg. 42, [173] - -

PUBLIC DOMAIN